MASTER NEGATIVE
NO. 93-81331-2

AUTHOR:

DEECKE, GEORGE

TITLE:

DE USU PRONOMINIS RELATIVI APUD...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1907

Master Negative #

93-81331-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Deecke, Georg, 1881-
De vsv pronominis relativi apvd poetas veteres Latinos qvaestiones syntacticae, dissertatio ... qvam ... scripsit Georg Deecke ... Gottingae, Dieterich, 1907.
84 p. 22 cm.


Thesis. Göttingen.
Volume of theses.

89461

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4/27/93 INITIALS Tmm
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














no 2

DE VSV PRONOMINIS RELATIVI APVD POETAS VETERES LATINOS QVAESTIONES SYNTACTICAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GEORG DEECKE

LVBECENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMVII.

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulerunt

F. Leo et J. Wackernagel

Examen rigorosum habitum est Kal. Maiis.

MCMVII.

FRIDERICO LEO

S.

Pars prior.

De pronominis relativi Italici inversione atque hyperbato.

Caput I.

De inversione pronominis relativi Italici in hoc primo atque in altero capite agere mihi proposui, quippe quod ut fiat a viris doctis iterum iterumque flagitetur (cf. nuperrime E. Norden in appendice editionis libri VI *Aeneidos* p. 393). Et iure quidem; nam paucis adnotationibus commemorationibusque exceptis (cf. praecipue Leo *Göttinger gel. Anz. 1897* p. 956 sq.) nemo adhuc rem diligenter tractavit, quae quanti momenti sit ad intellegendam sermonis Latini proprietatem, quis est qui nesciat?[1])

Facultatem enim postponendi pronomen relativum linguae Indogermanicae adiudicare non licet, cum aliena fuisse videatur et a lingua Graeca[2]) et a lingua Indo-

1) Postquam opusculum meum perfeci, Schuenkii dissertatio, quae inscribitur: *De traiectione coniunctionum et pronominis relativi apud poetas Latinos, Kiliae 1906* mihi ad manus venit. Qui, quamquam item te inversione atque hyperbato pronominis relativi Latini agere sibi proposuit et locos poetarum Romanorum a Naevio usque ad Horatium paene innumerabiles (neque tamen omnes, ut vidi, nec de lectione vel sermone sollicitus) collegit, ad rem intellegendam nihil profecit.

2) Loci Homerici, qui inversionem praebent, suam rationem prae se ferunt (cf. F. Otto *Beiträge zur Lehre vom Relativum bei*

rum (cf. Windisch *Über den Ursprung des Relativpronomens in den idg. Sprachen, Curtius Studien* II p. 415 sq; accuratius quidem de hac re viri docti nondum, quantum scio, quaesiverunt.) Restat igitur, ut eam inde intellegere studeamus, quod pronomen relativum apud Italos ex alia stirpe formabatur atque in illis linguis Indogermanicis. Cum enim hae formas stirpis *i̯o-* sc. ὅς ἥ ὅ, *yás yā́ yád* ad usum relativum fere semper retinuerint (cf. Delbrück *Vergl. Syntax* III p. 295 sq.), Itali, ex quo tempore eorum linguas e monumentis cognoscere licet, formas stirpium *quo-* (et *qui-*) adhibuerunt (cf. Leo *Plautinische Forschungen* p. 286 sq.). Quarum stirpium proclivitas ad postpositionem in linguis Italicis manifesta est, nam extra usum indefinitum in interrogationibus non solum obliquis (cuius rei notissimae exempla afferre supersedeo) invenitur, verum etiam rectis (cf. e. g. Mil. 425 Most. 749. 1135. 1166). Non igitur mirum est, ut in usu quoque relativo inveniatur, quoquo eum modo originem cepisse putamus.

Quamvis autem recte postpositionem pronominis relativi Italici ex proprietate stirpium *quo-* et *qui-* repetamus, restat quaestio, quo modo hanc ipsam proprietatem intellegamus, sc. num revera inversio enclisi pronominis nitatur. Aliis linguis Indogermanicis allatis nihil proficimus nisi quod formas stirpium *quo-* et *qui-* in usu indefinito encliticas fuisse probant (cf.

Homer, Weilburg 1853 p. 7 adn. 21 et p. 10), nam aut ita comparati sunt, ut praemittatur genetivus partitivus, quem nusquam praemissum invenies apud scriptores veteres Latinos (cf. infra p. 44), aut poeta vocabulum cum praemitteret vi efferre voluit, sc. regulas syntacticas tralaticias quasi vincula audacter perrupit; quam explicationem ad inversionem pronominis relativi Latini percipiendam non sufficere exempla allata docebunt.

πο- et *τι-*); neque autem ex hac re sequitur, ut idem de linguis Italicis valeat. Quas ipsas pervestigemus necesse est atque argumenta quaeramus ad rem diiudicandam. Etenim licet linguae Italicae careant accentu adscripto, cuius auxilio res apud Graecos facile perspicitur, tamen est qua via ad cognitionem eius perveniamus.

Imprimis id quaeramus, quid enclisin esse dicamus; tria enim eius sunt genera:

1) Propriam appellare solemus enclisin, qua vocabulum aliquod se subiungit alteri vocabulo ita ut una unum vocabulum efficiant cf. e. g. *viróque, hominésve, tibíne?*
2) Pronomina personalia et demonstrativa et quasdam particulas (e. g. *enim, autem, vero, igitur, quoque, quidem*) et formas verbi substantivi, quippe quae locum post primum vocabulum enuntiati occupare soleant, ‚enclisin' prae se ferre Wackernagel *Idg. Forschungen* I p. 413 sq. docuit.
3) Homines docti iis quoque locis de enclisi agi affirmare solent, ubi singula vocabula in certam dictionem coaluerunt sicut *vaè miseró mihì, voluptás meà, pessúm dò, factúm volò, ìn malám crucèm, bonán fidè?* et alia multa (cf. Lindsay in editione *Captivorum* p. 358 sq. et 366 sq.). Quae tam arte inter se cohaerere contendunt, ut accentu verbali omisso accentum enuntiativum, quem dicimus, sibi asciverint.

Tertium hoc genus encliseos, quippe quod non tam ad certam structuram quam ad singulas locutiones spectet, posthac neglegam; id potius quaeram, utrum pronomen relativum alteri vel adeo primo generi attribuendum sit, an suam sibi habeat rationem.

Quod fieri nequit nisi versificatione adhibita. Cum enim versus dialogici fabularum Plautinarum Terentianarumque non solum numeris contineantur, sed etiam certis legibus de exitu vocabulorum observando constringantur, permagni interesse elucet, utrum pronomen relativum cum praemisso unum vocabulum efficere dicamus an non.

Integra e. g. adhuc est quaestio, quam recensionem sequamur Cist. 120. Tradunt enim memoriae codices Palatini haec:

idem mihi magna$\overset{2}{\text{e}}$ quod parti est vitium mulierum,

cum alioquin alterum pedem senarii vocabulo spondiaco explere non liceat, ut versus non sanus sit, nisi *magnae-quod* pro uno vocabulo habeamus; codex Ambrosianus autem haec praebet:

idem mịḥịṣṭ q̣ —

i. e. idem mihist quod m$\overset{2}{\text{a}}$gnae parti vitium mulierum, qua lectione recepta offensio illa tollitur. Rem infra (p. 10) ad finem perducam.

Ne id silentio praetereeam: testimonia grammaticorum de hac re tenuiora sunt, quam ut eam eorum auxilio diiudicare liceat (cf. Lindsay (Nohl) *Die lateinische Sprache* p. 192 sq.); atque Quintiliani illud *Troiaé-quì* (*Inst. or.* I. 5. 27) tantummodo de ictu metrico valere, non ad sermonem cottidianum transferendum esse apparebit.

Iam poetarum locos adgrediamur.

Quod numeros exituum verbalium attinet, quattuor extant genera, sc. haec:

1) $\times\ \underline{\acute{\smile}\smile}\ \underline{\smile}$
2) $\times\ \underline{\acute{\smile}\smile}\ \smile\ \underline{\grave{\smile}}$
3) $\acute{\smile}\ -$
4) $\underline{\acute{\smile}\smile}$

($\times$ signo syllabas indifferentes significo.) Quorum ex ordine perlustremus locos, qui pronomen relativum postpositum praebent.

1) Permulta primi generis sunt exempla (ca. 150), quae is qui id opera dignum putet facile ex enumeratione locorum infra data colligere potest. Fere omnia ita comparata sunt, ut poetam in versu faciendo exitum vocabuli praemissi respexisse appareat; nam ictus metricus aut in paenultimam syllabam cadit, quo fit ut pronomen relativum ictum proximum obtineat, ita ut metrum offenderet, si vocabula in unum comprehenderemus, cf. e. g.

Men. 58 geminum illum p$\overset{2}{\text{u}}$erum qu$\overset{3}{\text{i}}$ surrupuit

Trin. 728 dedi, reposcam, ut habeam m$\overset{4}{\text{e}}$cum qu$\overset{5}{\text{o}}$d feram, viaticum,

quippe qui versus caesura carerent, vel

Truc. 438 germ$\overset{1}{\text{a}}$nae qu$\overset{2}{\text{o}}$d sorori

Aul. 494 ... pr$\overset{3}{\text{e}}$tio qu$\overset{4}{\text{i}}$ superant equos

propter finem spondiacum vocabuli sc. oxytonon in secundo vel quarto pede senarii, vel

Most. 740 ... n$\overset{5}{\text{a}}$vi qua$\overset{6}{\text{e}}$ frangat

eandem ob rem in sexto pede trochaici septenarii; aut in ultimam syllabam cadit; hoc autem iis tantum locis versus fit, ubi exitus vocabuli spondiacus vel anapaesticus sc. oxytonos non offendat, sive in prima arsi senarii, cf.

Amph. 919 testém quem
ib. 61 regés quo
Truc. 117 vobís qui (cf. Amph. 21)
Merc. 273 rurí qui (cf. Merc. 686)
Stich. 406 olím quos (cf. Pe. 824)
Ps. 1069 hodié quas (cf. Eun. 951)

Phorm. 753 harúm qui est

Andr. 26 posthác quas

sive in secunda vel tertia arsi trochaici septenarii, cf.

Trin. 356 et aliis qui

Truc. 869 aetatem qui

ib. 274 mancupion qui

Merc. 605 impetrabilior qui

Capt. 291 ad rem divinam quibus

Aul. 162 post mediam aetatem qui

sive ante ultimum iambum coli iambici:

Rud. 1230 ... alienum quod est

Andr. 701 id faciam in proclivi quod est (cf. Hec. 616)

Supersunt duo loci, qui usum communem aspernantur. Alterum iam exscripsi (p. 8), sc. Cist. 120, cuius recensionem Palatinam prae Ambrosiana abiciendam esse iam non negabimus; alter Ep. 197:

Periphanem per omnem urbem quem sum defessus quaerere

ideo quoque suspicionem nostram movet, quod *quem sum* praebet, cum formas verbi substantivi cum pronomine relativo coalescere solere Trin. 636 Asin. 725 Hec. 491 (quos infra p. 13 exscribam) doceant. Equidem proposuerim hoc modo verba transponere:

... per omnem quem urbem sum ...

Cf. Asin. 256 *alii quod servi solent*, Truc. 438 *germanae quod sorori non credit soror*.

2) Difficilior res est de vocabulis, quae in creticum cadunt, pronomini relativo praemissis neque tam perspicua, nam pauca huius generis extant exempla; ego quattuordecim collegi.

Primum moneo, accentus metricos cum verbalibus ubique in easdem syllabas convenire nisi in initio versus, ubi duas syllabas ultimas vocis dactylicae in arsi positas metrum non offendere scimus, cf. Poen. 65

unicus qui fuerat ...

Poetae igitur horum quoque vocabulorum exitus respexisse videntur. Quam opinionem iam fulcire possumus argumento ex formatione caesurae quaesito. W. Meyer enim in opusculo illo celeberrimo quod inscribitur *Ueber die Beachtung des Wortakzents in der altlateinischen Poesie* p. 55 docuit, ut ipsius verbis (paginae 58) utar, *dass ein einsilbiges Wort nach betontem Wortschluss sich vor der Caesur im 4. Fusse des Senars bei Plautus und Terenz nur selten, bei späteren Dichtern garnicht findet.* (De trochaico septenario idem valere vir doctus p. 77 dixit.) Quod igitur pronomen relativum cum vocabulo cretico praemisso non coalescere suspicati sumus, improbaretur haec opinio, si inveniretur caesura, qualis est e. g. *leniter qui*. Neque autem invenitur; ergo evitabatur, nisi propter exiguum numerum exemplorum id casu factum esse censes. Non puto illam meam opinionem eo refelli, quod pronomen relativum bis ante caesuram semiquinariam senarii vel diaeresin septenarii extat, nam licet his quoque locis versuum monosyllabum poetas evitasse W. Meyer demonstraverit (p. 58 sq.), hanc regulam minus diligenter observasse videantur. Exempla haec sunt:

Most. 79 triennium qui iam hinc abest

Bacch. 408 ... leniter qui saeviunt,

a quibus non alienum puto

Men. 457 ... in dies qui singulas,

nam *in dies* quasi trisyllabum est (cf. Lindsay *Captivi* p. 370), sicut *de bonis* Rud. 1287:

saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum,

ubi ipsa diaeresis (iambici septenarii scilicet) vocabula seiungit, nisi potius de caesura cogitamus (cf. Rud. 1292 et W. Meyer *Wortakzent* p. 68).

Terentius ne huius quidem modi ullum praebet exemplum. Eos versus, qui praeter semiquinariam semiseptenariam praebent, silentio praetereo.

3) Simillimo modo res se habet, si vocabulum iambicum inversione praemittitur. Ante semiseptenariam pronomen relativum nusquam legitur, duobus autem locis nempe Plautinis e viginti quattuor (tot enim congessi) ante semiquinariam:

Cas. 9 ... novae quae prodeunt

ib. 537 ... viro qui liberum

4) Certius rursum disserere licet de vocabulis monosyllabis vel bibrevibus praemissis. Quae cum pronomine relativo unum vocabulum efficere ex eo apparet, quod pronomen relativum, quantum video, nusquam ictum metricum obtinet, nisi iis locis versuum, ubi vocabulum spondiacum vel anapaesticum sc. oxytonon permissum est, cf.

era quo ... sim. Merc. 803 Ps. 812 Capt. 18 Cist. 317 Trin. 1101 Poen. 87 Trin. 145 Ad. 67 Eun. 345 Phorm. 461.

quam? || tua quae ... Rud. 1364.

minus placet magis quod ... sim. Trin. 670 Rud. 701 Trin. 318 Pe. 472 Eun. 1050 Hec. 810.

... male quod ... (sc. post diaeresin iambici septenarii) sim. Mil. 892 Most. 162 Asin. 631.

... erus quae facit (sc. ultimo loco senarii) sim. Capt. 200 Heaut. 803 Ad. 76.

Quibus cum locis ne confundamus

Trin. 636 ... in rem quae sint meam

Asin. 725 ... minas huius quas dem matri

Hec. 491 ... me qui sit fortunatior,

nam formas verbi substantivi etiam proprie enclitice collocari e. g. Mil. 630 *pernix sum*, Amph. 356 *servos sum* confirmant. Iniuria autem eas semper encliticas esse Ahlberg (*De latini verbi finiti collocatione, Lundae 1906* p. 15 sq.) contendit, nam contradicunt e. g. Bacch. 307 Capt. 105, 985 Pe. 344, cum, praeterquam quod formae ne modo quidem encliticorum post primum vocabulum enuntiati positae leguntur, caesura intercedat; quod Ep. 197 quoque probare videtur, sed res incerta (cf. supra p. 10). Idem de forma *dem* valere locus allatus suadet; cf. etiam Pe. 372 *verum ei rei operam do* (sed cf. Amph. 278 Capt. 1008 Cas. 278 Ep. 571 e. a. m. Ahlberg l. s. p. 24); neque

Aul. 619 ... erus quam amat ⟨virginis⟩

Heaut. 966 ... tibi qui erat: ei ...

(Eun. 309 modo quod ames ...)

nam his locis verbum temporale per id quod Germanice *Tonanschluss* appellare solemus artissime ad pronomen se applicavit (cf. Hauler in praefatione editionis *Phormionis* p. 56), ut inter ea exitum verbi extare non possit.

Exemplis Plautinis Terentianisque inter se consentientibus obstat Caecili versus 127 (R) sq.

si linguas decem
habeám, vix habeam satis te qui laudem, Lache.

Quem transpositione verborum, sc. *satis qui te laudem*, usui communi facilius subici posse opinor, quam ut singularem codicum lectionem probemus.

Apparet igitur homines Latinos veteres ita locutos esse:

1) × ⏑́⏑ ⏑ / ⏑́ i. e. *móres quí, púeri quaé*

2) × ⏑́⏑ ⏑ ⏑ / ⏑́ i. e. *ómnium quód, fácilius quí*

3) ◡́ — / ◡́ i. e. *víro quaé*

4) ◡́◡ ◡ i. e. *réx-quod, tíbi-quod.*

Ergo pronomen relativum proprie quod dicimus encliticum non est, nisi vocabulum monosyllabum vel bibreve praemittitur; alioquin ad exemplum modo encliticorum alterum locum enuntiationis relativae occupat, sicut pronomina et particulae, quas alteri generi supra attribui.

Quae res admodum mirabilis explicatione indiget. Me non erraturum esse spero, si eam ex ipsius linguae Latinae natura proferam. Illis enim temporibus, cum vetustus ille accentus primae syllabae valeret, propriam quoque enclisin non recessu accentus indicatam esse censere debemus, nam licet vocabulum encliticum, cum ipsum accentu careret, alteri vocabulo se subiungeret, huius accentus nihilominus in prima syllaba positus remanebat. Dicebant igitur e. g. et *tálentum* et *tálentumque* et haud scio an etiam *tálentumqui* sim. dixerint. Postquam autem novella illa lex de accentu pervicit, secundum quam syllaba paenultima verborum maximum momentum obtinebat ad accentum constituendum, multo maius erat discrimen inter solum vocabulum sc. *taléntum* et si ei additum legebatur proprium encliticum sc. *talentúmque.* Propterea ea tantummodo vocabula enclitice se ad alia vocabula tum applicabant, quae per se omnino stare nequibant (sicut *-que*, *-ve*, *-ne*), cum cetera, ut ita dicam, postpositione contenta esse deberent, si modo enclisin appetebant. Aliter autem res se habebat, si vocabulum praemissum monosyllabum vel bibreve erat; nam hoc, quippe quod per se extra fines legis novellae staret, cum aliis quoque encliticis artissime coniunctum ei se subiciebat.

Caput II.

Quoniam demonstrare conatus sum, quo fundamento nitatur inversio pronominis relativi Latini, restat ut quaeram, quibus **regulis syntacticis** contineatur.

Perscrutationem exemplorum, ut perspicue et sine ambagibus fiat, ita instituendam esse opinor, ut a simplicioribus exemplis proficiscens gradatim ad magis intricata progrediar et quoad haec illorum usum aut sequantur aut respuant explicem. Initium igitur faciam ab iis enuntiatis, quae praeter pronomen relativum et verbum finitum, quod in sermone quidem cottidiano pronomini relativo semper postponitur [1]), unum tantum membrum, sc. praemissum, praebent.

A. Pronomen personale praepositum legitur.

Amph. 893 quando e g o quod feci, id factum Amphitruoni offuit.

Merc. 628 ... e g o quod dicam, id mi in manust.

Mil. 554 ... quid ni fateare, e g o quod viderim? [*fateare ego* ς: *fatear et ego et* P (*et* utrumque del. B²) *fateare ergo* A (*et ego* pro *ergo* t. Loewio)].

1) Sane abhorret a sermone cottidiano, quem e comoediis novimus, collocatio verborum qua e. g. usus est Tibullus II 1. 78 *explorat caecas cui manus ante vias*, neque ullum huius modi exemplum apud comicos invenies. Codices quidem Palatini Stich. 556 — codex Ambrosianus deficit a v. 552—582 — hanc praebent lectionem: *quóniam ille ílli póllicétur qui, éum cibúm popóscerit*, sed id omnibus temporibus portenti simile habitum est, ut pronomen relativum ultimum locum enuntiati obtineat. — Quod autem Bentley Andr. 143 metricam offensionem emendare voluit, cum contra codicum memoriam verba sic traiceret: *quid fácias illi déderit quí damnum aút malúm* [*qui dederit codd.*], sermonem Terentianum violavit. — Neque melius processit Bothio coniectura in Afrani v. 26 (R): *sed út quisque hábuit cónveníret quód mihí* [*quod conveniret* codd. *quod conveniebat* Hermann].

Andr. 922 nam ego quae dico, vera an falsa audierim.
Heaut. 803 et simul conficiam facilius ego quod volo.
Phorm. 671 fac ut illam ducat, nos quam volumus.
Ad. 430 inepta haec esse, nos quae facimus sentio [*quae nos* D].
[Stich. 49 neque ille eos honores, mihi quos habuit, perdidit] (cf. Leo ad v. 48).
Trin. 145 mihi quod credideris, sumes ubi posiveris.
Ps. 115 ut me effecturum tibi quod promisi scias.
Mil. 365 em tibi, huc mihi dixit tibi quae dixi [leviter corruptum in P].
Heaut. 596 repperisti tibi quod placeat an non?
Bacch. 42 haec ita me orat, sibi qui caveat aliquem ut hominem reperiam.
Trin. 728 ut habeam, mecum quod feram, viaticum.
Afranius (R) 95 sq. pauca sunt, tecum quae volo.
Ps. 1009 Harpax calator meus est, ad te qui venit.

B. Pronomen possessivum.

Ep. 453 pol ego magis unum quaero, meas cui praedicem.

C. Pronomen demonstrativum.

Merc. 936 nam hic quod dixit, id mentitust.
Rud. 955 noram dominum, id cui fiebat.
Aul. 489 namque hoc qui dicat 'quo ...
Truc. 554 nam hoc qui sciam, ne quis id quaerat ex me.
Ad. 76 sq. hoc qui nequit, fateatur nescire imperare liberis.
Heaut. 958 verum ego haud minus aegre patior, id qui nescio. [*id quod* A].
Most. 306 haec qui gaudent, gaudeant ...

oen. 87 e as qui surripuit, in Anactorium devehit.
Eun. 480 atque haec qui misit, non sibi soli postulat.
Phorm. 345 ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem deum?
Asin. 631 ... huic quod dem nusquam quicquamst.
Stich. 556 quom ille, illi qui pollicetur, cum cibum poposcerit [*quoniam ille illi pollicetur qui* P, A. n. l. corr. Ritschl].
Trin. 741 datam tibi dotem, ei quam dares, eius a patre.
Ep. 474 ei quae accessere, tibi addam dono gratiis.

D. Adiectivum pronominale.

Inc. LXIX (R) ab alio expectes alteri quod feceris.

E. Nomen substantivum vel adiectivum.

a) pro subiecto.

Merc. 499 sq. vicinus quod rogavit, hoc emi mercimonium.
Bacch. 658 sq. vorsipellem frugi convenit esse hominem, pectus quoi sapit.
Amph. 291 ibo ut erus quod imperavit Alcumenae nuntiem.
Amph. 586 qui quoniam erus quod imperavit, neglexisti persequi.
Aul. 278 ibo intro ut erus quae imperavit facta, cum veniat, sient.
Capt. 200 indigna digna habenda sunt, erus quae facit.
Aul. 619 atque hic pater est, ut ego opinor, huius, erus quam amat, ⟨virginis⟩ [*virginis* add. Mueller].
Truc. 129 sine me ire, era quo iussit.
Amph. 535 Pterela rex qui potitavit, quem ...

Men. 362 te hic stare foris, f o r e s quoi pateant.

Merc. 148 ego bonum, m a l u m quo accedit, mihi dari haud desidero [*quod* B].

b) pro obiecto.

Cas. 533 liberae aedes ut sibi essent, C a s i n a m quo deducerent.

Ps. 1233 [cf. v. 1207] qui illum ad me hodie adlegavit, m u l i e r e m qui abduceret.

Poen. 627 sq. v i a m qui nescit qua deveniat ad mare, eum oportet ...

Curc. 548 quam pars † lenonum, l i b e r t o s qui habent (cf. L e o ad l.).

Ad. 905 tibicen et h y m e n a e u m qui cantent.

Titinii v. 29 pedibus cretam dum compescis, v e s t i m e n t a qui laves.

Heaut. 43 nam nunc n o v a s qui scribunt, nil parcunt seni.

Phorm. 654 sq. sed mi opus erat, ..., a l i q u a n t u l u m qui adferret, qui ...

Most. 472 sq. circumspicedum, numquis est, s e r m o n e m n o s t r u m qui aucupet.

Merc. 700 sq. miserior mulier me nec fiet, nec fuit, t a l i v i r o quae nupserim.

Phorm. 27 quia p r i m a s p a r t e s qui aget, is erit Phormio.

Poen. 1031 h o m i n e m p e r e g r i n u m a t q u e a d v e n a m qui inrideas [*qui inrideas* om. A].

c) pro obiecto remotiore.

Cist. 612 nata est haec virgo, A l c e s i m a r c h o quae datur.

Most. 1095 ne enim illi huc confugere possint, q u a e s t i o n i quos dabit.

Most. 62 ervom daturin estis, b u b u s quod feram?

Asin. 103 sq. ... argentum hodie ut habeat filius, a m i c a e quod det.

Heaut. 534 unde esset adulescenti a m i c a e quod daret [*amicaeadulescenti·* A].

Eun. 288 facete dictum: mira vero m i l i t i quae placeant [*qui placeat* A[1] *quae placeat* A[2] *quae placeant* om. D[1]].

Ep. 141 sq. huic homini opust quadraginta minis celeriter calidis, d a n i s t a e quas resolvat, et cito.

Cas. 220 eos eo condimento uno ⟨non⟩ utier, o m n i b u s quod praestat.

Trin. 1100 sq. thensaurum effodiebam intus, dotem, f i l i a e t u a e quae daretur..

Hec. 477 sq. sed quando sese esse indignam deputat, m a t r i m e a e quae concedat, ...

d) pro praedicato.

Mil. 1410 itaque ancilla, c o n c i l i a t r i x quae erat, dicebat mihi.

Most. 625 sq. ... videturne, obsecro hercle, idoneus, d a n i s t a qui sit, genus quod improbissimum est. [*qui* ς: *quid*].

Merc. 520 de lanificio neminem metuo, u n a a e t a t e quae sit.

Ps. 237 i n r e m quod sit praevortaris.

Hec. 616 ... e x u s u quod est, id persequar.

Andr. 701 id faciam, in p r o c l i v i quod est, per me stetisse ut credat.

Poen. 64 sq. sed illi seni qui mortuost, ⟨ei⟩ filius, u n i c u s qui fuerat, ab divitiis ...

2*

Poen. 860 ... aliquem, dignus qui siet [*aliquem* [*e*]*ϱ* *dignus qui siet* A: *aliquem* P].

Rud. 1230 sq. aequom videtur tibi, ut ego, alienum quod est, meum esse dicam?

Cas. 15 nam iuniorum qui sunt non norunt, scio.

Quibus exemplis adiciam ea quorum verbum finitum eius generis est, ut antiquitus usum praedicativum sibi asciverit, sc.

Amph. 862 idem Mercurius qui fit, quando commodumst.

Merc. 605 impetrabilior qui vivat nullus est.

(Cf. Capt. 828 et Brix ad Trin. 390).

Compluribus locis hunc usum translatum invenimus, ut Brugmanni verbis utar (*Kurze vergleichende Grammatik* p. 629) *auf das Objektsverhältnis bei transitiven Verben*, quae iis, quae modo attuli, similem significationem habent; cf.

Trin. 470 adposita cena sit, popularem quam vocant.

Capt. 154 sq. nullumne interea nactu's, qui posset tibi remissum quem dixti imperare exercitum?

[Bacch. 976 sq. comptionalem senem vendam ego, venalem quem habeo, ...] (cf. Leo ad v. 973).

F. Verbum infinitum.

a) Participium.

Most. 162 sq. ... mihi quae modestiam omnem detexit, tectus qua fui.

Truc. 207 ... iam hic ero: propest, profecta quo sum.

Pe. 694 mandatae quae sunt, volo deferre epistulas.

Amph. 966 ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt.

Capt. 446 satin habes, mandata quae sunt, facta si refero?

Capt. 524 operta quae fuere aperta sunt ...

Men. 396 sq. qui lubet ... ire infitias mihi, facta quae sunt?

Hec. 749 puerumque ob eam rem clam voluit, natus qui est, extinguere [*qui est natus* B].

b) Infinitivum.

Ps. 482 sq. ecquam scis filium tibicinam meum amare? || *ναὶ γάϱ*. || liberare quam velit?

Asin. 316 hariolari quae occeperunt, sibi esse in mundo malum.

G. Adverbium.

Stich. 547 ego tibi meam filiam, bene quicum cubitares, dedi.

Bacch. 408 heia, Lyde, leniter qui saeviunt sapiunt magis.

Trin. 670 minus placet magis quod suadetur, .. [*quod suadetur magis* A contra metrum].

Truc. 578 valeo et venio ad minus valentem et melius qui valeat fero.

Cist. 218 modo quod suasit, ⟨id⟩ dissuadet.

Asin. 439 ... prius quae credidi, vix anno post exegi [*quam*, corr. Pius].

Truc. 894 ut illud acceptum sit, prius quod perdidi, hoc addam insuper.

Heaut. 216 lubidine ex sua moderantur, nunc quae est, non quae olim fuit.

Capt. 788 sed Ergasilus estne hic, procul quem video?

Merc. 686 nimium scis sapere, ruri qui non manseris.

H. Notio adverbialis[1]).

Ad. 66 sq. qui imperium credat gravius esse aut stabilius,
vi quod fit, quam ...

Truc. 274 mancupion qui accipias, gestas tecum ahenos anulos?

Merc. 144 apage istius modi salutem, ⟨cum⟩ cruciatu quae advenit.

Aul. 492 sq. mores meliores sibi
parent, pro dote quos ferant, ...

Truc. 911 tuo arbitratu quod iubebis, dabitur.

Most. 211 id pro tuo capite quod dedit perdiderit tantum argentum. [*capite* (*capte* C) *tuo* (s. scr. B), corr. Bentley].

Mil. 122 video illam amicam erilem, Athenis quae fuit.

Mil. 127 sese illum amare meum erum, Athenis qui fuit.

Truc. 303 quid maceria illa ait, in horto quae est?

Rud. 579 in mari quod elavi, ni hic in terra iterum eluam.

Pe. 98 nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo.

Heç. 574 ipse eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum.

Phorm. 313 amicos advocabo, ad hanc rem qui adsient.

Men. 1011[2]) eripe oculum isti, ab umero qui tenet, ere, te obsecro.

---

1) *Notiones adverbiales* ea nominare liceat nomina, quae quasi adverbiorum locos teneant dicuntur.

2) Ad hanc paragraphum quaeso conferas quae leguntur in monumentis epigraphicis Oscis: Cippus Abellanus (v. Pl. 127)

Curc. 288 tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant. (cf. Capt. 475 sq. et Brixi adnotationem).

Eun. 1013 an paenitebat flagiti, te auctore quod fecisset?

I. Parva enuntiatio verbo finito subiecta.

Curc. 679 argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant.

Andr. 534 aliquot me adierunt, ex te auditum qui aibant, hodie nubere ...

Omnia exempla quae adhuc congessi, eius generis sunt, ut vocabulum praemissum cum verbo temporali, quod pronomini relativo semper postponi supra dixi, grammatica ratione cohaereat. Quod inversionis esse ne dicas, nam extant etiam exempla, quae attributum pronominis relativi vel participium coniunctum praemissum praebeant. Sed huius modi exempla hic quidem silentio praetereo eam ipsam ob causam, quod carent ratione illa grammatica, quae quanti fuerit momenti ad collocationem verborum in exemplis implicátioribus constituendam statim demonstrabo. Praetermissa infra congeram et quid doceant exponam (p. 43 sq.).

Implicatiora ea dico exempla, quae aut membrum pronomini relativo praemissum aut verbum temporale inter se coniunctum aut enuntiatum relativum aliis vocabulis additis amplificatum praebent. Utcumque res se habet, ratio grammatica, de qua dixi, valet ad ordinem verborum ita constituendum, **ut ea vocabulo,**

---

l. 11 sq. sakaraklúm Herekleís <up> slaagid púd íst, et Inscriptio Campana (v. Pl. 131) múinik est fiisíais púmperiais prai mamerttiais pas set. cf. ib. 132.

quae constringit, quam proxime ad pronomen relativum se applicent. Quam regulam locis colligendis comprobabo.

Quod vocabulum praemissum attinet, **genetivus subiectivus** — de quo uno agitur[1] — primum locum occupare solet; cf.

Amph. 154 iuventutis mores qui sciam.

Rud. 822 iam hoc Herculi est, Veneris fanum quod fuit [⟨*modo*⟩ *Veneris* Acidalius].

Titinius 183 Tarentinorum hortorum odores qui geris.

Aul. 766 illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedo.

Most. 242 pro illius capite quod dedi.

Eun. 301 praeut huius rabies quae dabit.

Contradicit

Truc. 437 suppositionem pueri quae mihi credidit, ubi deficiente cod. A, dubito an versus non recte traditus sit; transpositioni verborum quae est *puerí suppósitiónem* metrum non obest.

Ceteri loci sui generis sunt: *illuc aetatis* (Mil. 659) ita ut est certam habet notionem, cf. Brix ad Trin. 787; Poen. 314 *pleni oculi sorderum qui erant* verba *qui erant* praeter necessitatem grammaticam adiecta esse infra (p. 36) demonstrabo; Rud. 128 *in fanum Veneris qui mulierculas duas secum adduxit* obiecto quoque intermisso singularis est (cf. p. 37); Trin. 491 sq. *verum nos homunculi, satillum animai qui quom extemplo emisimus, aequo mendicus atque ille opulentissimus censetur censu ad Acheruntem mortuos* anacoluthum quod dicimus est, cum pro eo quod exspectamus *qui, satillum animai quom extemplo emisimus, censemur* ...,

1) sed cf. etiam Curc. 679 (p. 23), ubi verbum infinitum quam proxime ad finitum accessit.

pronomen relativum intra secundariam temporalem receptum et verbum temporale vocabulis illis quae sunt *aequo mendicus atque ille opulentissimus* insertis deflexum legatur, ita ut alterum cum altero grammatica ratione non cohaereat.

Porro si verbum temporale compositum extat, **verbum axiliarum** infinitum utrum praecedat an sequatur a natura atque significatione vocabuli praemissi pendet:

1. Obiecto praemisso verbum infinitum, quod ad id spectat, quam proxime ad pronomen relativum accedit; cf.

Merc. 143[1]) sin saluti quod tibi esse censeo, id consuadeo.

Truc. 117[2]) vobis qui multa bona esse volt.

Hec. 564[1]) meis dictis qui parere hanc postulem. [sic A: *parere hanc qui postulem* CDEFP].

2. Adverbio praemisso aut verbum finitum, cf.

Merc. 886 maxime quod vis audire, id audies.

Andr. 612 sq. negabon velle me, modo qui sum pollicitus ducere?

aut infinitum, cf.

Trin. 416 prius quod cautum oportuit.

Andr. 426 verum illud verbumst, volgo quod dici solet.

Inc. LXXVI (R) saepe qui misereri potuit, rogitat misericordiam.

Truc. 468 male quae facere occeperunt.

Cf. Truc. 465 *male quod mulier facere incepit*[2]).

Contradicit

Asin. 138 male quod potero facere faciam

sed *facere* et *faciam* consulto iuxta posita esse notum habemus, cf. e. g. Bacch. 554 sq.[3]).

3. Item res se habet si notio adverbialis praemittitur:

1) De pronomine interposito infra (p. 30 sq.) agam.
2) Cf. p. 37.
3) Ceterum cf. Most. 162 sq. (p. 35).

Rud. 898 miror, de nocte qui abiit piscatum ad mare.
Truc. 424 quinto die quod fieri oportet.
Faeneratrix I in barbaria quod dixisse dicitur libertus suae patronae.
Poen. 199 sine damno magno quae elui ne utiquam potest.

4. Quod subiectum praemissum attinet, verbum finitum cum infinito quasi pro uno habendum esse videtur; cf.

Amph. 419 Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.
Eun. 761 [1]) sed tu quod cavere possis stultum admittere est.

Quibus cum exemplis ea congruunt, **praedicato verbali formam verbi substantivi adiectum** praebeant:

1) sive subiectum praeponitur, sicut

Merc. 488 Achillem orabo, aurum ut mihi det, Hector qui expensus fuit.
Andr. 530 nam gnatus quod pollicitust haud dubiumst mihi.
Hec. 333 sq. aliquid tulisse comminiscentur mali
capiti atque aetati illorum, morbus qui auctus sit.

2) sive obiectum, sicut

Poen. 956 eum fecisse aiunt, sibi quod faciundum fuit.
Eun. 345 [2]) mirum ni hanc dicit modo
huic quae datast dono.

3) sive adverbium vel notio adverbialis, sicut

Heaut. 1000 adhuc quod factumst.

1) Cf. Asin. 232, locum singularem, *at ego est etiam prius quam abis quod volo loqui.*

2) De loco simillimo sc. Eun. 951 infra p. 35 agam.

Lucili v. 651 (M) clandestino tibi [1]) quod commissum foret.
Amph. 21 pro imperio vobis [1]) quod dictum foret.

4) Duobus locis, ubi verbum substantivum praecedit, transpositionem verborum eo effectam esse in aperto est, quod subiectum ad ultimum locum enuntiati recessit, sc.

Ps. 1069 [2]) hodie quas aps te est instipulatus Pseudolus.
Merc. 257 [2]) navem, ex Rhodo quast heri [3]) advectus filius.

Ad praedicati verbalis exemplum etiam **adverbiale** plerumque praeponitur; cf.

Mil. 747 si illis aegrest mihi quod volup est [*mihi ịḍ quod volup est* A, *mihi incit* (*inicit* B, *meit* D, om. ς) *quod volupis* P].
Pe. 264 diu quo bene erit, die uno absolvam [*quo* A, *quod* P].
Trin. 803 aperi, deprome inde auri ad hanc rem quod sat est.
Ps. 190 sq. [4]) hunc annum quod satis
mi et familiae omni sit meae.
Cas. 565 [4]) in eum diem quoi quod amet in mundo siet.
Heaut. 210 scitumst periclum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet.

Raro atque sine ulla causa perspicua verbum substantivum praecedit; cf.

Capt. 291 ad rem divinam quibus est opus, Samiis vasis utitur [*opus est* Itali].

1) De pronomine interposito cf. p. 30 sq.
2) Ceterum cf. p. 39.
3) De adverbio interposito cf. p. 32.
4) Cf. p. 36.

Men. 220 [1]) tribus vide quod sit satis.

Praedicatum nominale autem nusquam verbum substantivum praecedit; cf.

Amph. 177 sq. hodie qui fuerim liber, eum nunc potivit pater servitutis.

Poen. 966 servire ante oculos, domi quae fuerint liberae.

Truc. 822 propter male facta qui es patronus parieti.

Colax II subdoli subsentatores, regi qui sunt proximi.

Hec. 491 cum eo viro, me qui sit fortunatior,

quibus locis adicio simillimum

Trin. 43 hic ille est, senecta aetate qui factust puer,

praeter unum Amph. 878 sq., ubi Plautum concinnitatis causa usum communem respuisse suspicor:

faciamque ut uno fetu et quod gravida est viro
et me quod gravidast pariat sine doloribus.

Respicias quaeso codices altero loco *gravidast* in unum vocabulum conscriptum praebere.

Tam arte igitur inversione pronominis relativi vocabulum praemissum cum verbo temporali constringitur, ut ne praedicatum nominale quidem interponi sinat, nisi artis causa.

Adiciam quosdam locos varii quidem generis, sed quorum unus quisque observationem meam sua ratione illustrat.

Praedicatum praemissum verbum temporale suum attrahere consentaneum est; cf.

Ep. 352 pater suam natam quam esse credit.

1) Cf. p. 42.

neque **accusativi cum infinitivo** quam dicimus constructionem disici; cf.

Capt. 53 sed etiam est paucis vos quod monitos voluerim.

Tamen apud Terentium quidem scriptum legimus:

Hec. 739 nam si id facis facturave es, bonas quod par est facere.

Ordinem genuinum verborum — sc. *bonas quod facere par est* — a scribis perturbatum esse facilis est coniectura.

Cas. 67 Ambrosiani lectio ab usu adhuc probato abhorret:

sunt hic inter se quos nunc credo dicere.

Licet *inter se* et *quos* sententia quadam iuxta posita esse videantur, quominus hunc ordinem verborum genuinum esse censeamus, Palatini obstant, qui inversione abiecta nihil offensionis praebent, cum hanc exhibeant lectionem:

sunt hic quos credo nunc inter se dicere.

Denique animadvertas quaeso **participii coniuncti** collocationem his locis:

Capt. 18 domo quem profugiens dominum abstulerat vendidit.

Stich. 406 olim quos abiens adfeci aegrimonia.

Differt

Curc. 247 hac nocte quod ego somniavi dormiens,

hoc enim loco notio adverbialis praemissa ad verbum finitum spectat, cum participium coniunctum quasi secundariae locum teneat.

Sed ad viam propositam revertar. Ut recte contenderim, vocabula inversione artissime inter se constringi, tamen saepe fieri, ut vocabulum praemissum vel verbum temporale, quo spectat, a pronomine relativo vocabulo aliquo interposito arceatur, neminem fugit, qui umquam linguae Latinae operam dederit; me

ipsum iam complures huius modi locos afferre necesse erat. Quos ad meam opinionem refellendam valere ne putaveris, nam si exempla diligenter perquires, mox intelleges certas regulas de vocabulis interponendis constitui posse.

Id imprimis respicias opus est, cuius ea generis sint.

A. Pronomina quidem libera atque soluta sunt.

1. Ante pronomen relativum extant his locis:

Heaut. 966 abii ad proxumum tibi qui erat, ei ...
[sic AD[1], *proxumos* et *erant* rell.].

Amph. 21 sq. tam etsi, pro imperio vobis quod dictum foret,
scibat facturos.

Lucili v. 651 (M) at enim dicis: clandestino tibi quod
commissum foret
neu muttires quicquam, neu ...

Mil. 169 estne advorsum hic qui advenit Palaestrio?
[*hic qui avenit palaestrio* A: *est quasi* versu manco P, *advenit* Ritschl].

2. Saepius verbum temporale proxime praecedunt; cf.

Curc. 247 hac nocte quod ego somniavi dormiens.

Pe. 114 mane quod tu occeperis
negotium agere, id totum procedit diem.

Bacch. 1199 sq. satin offirmatum
quod mihi erat, id me exorat?

Truc. 437 suppositionem pueri quae mihi credidit
[*pueri* (*puerim* B) *quem hinc* (*hic* B ante corr.) *reddidit* (*redidit* B), cod. A. n. l.].

Capt. 834 Fortuna quod tibi nec facit nec faciet, me iubes.

Asin. 621 patronus qui vobis fuit futurus perdidistis.

Merc. 272 sq. illunc hircum castrari volo,
ruri qui vobis exhibet negotium. [*vobis* A, *nobis* P].

Merc. 803 era quo me misit, ad patrem, non est domi.

Cas. 251 relinque aliquantum orationis, cras quod mecum litiges.

Ps. 1069 hodie quas aps te est instipulatus Pseudolus.

Heaut. 386 omniumque adeo vostrarum, volgus quae
ab se segregant.

Amph. 891 faciundum est mi illud, fieri quod illaec
postulat.

Ps. 1216 sumbolum qui ab hoc accepit [*ab* om. P].

Ps. 737 sed istic servos, ex Carysto qui hic adest,
ecquid sapit? [*qui hic adest ecquid* A: *hic qui advenit quid* (*qui* B) P].

Amph. 695 qui nunc primum te advenisse dicas, modo
qui hinc abieris.

[Bacch. 107 simul huic nescio cui, turbare qui huc it,
decedamus *] [*cui* Vahlen: *qui it: te* D; cf. Leo ad l.]

3. Duo pronomina rarissime iuxta posita leguntur; cf.

Phorm. 875 sq. sed me censen potuisse omnia
intellegere extra ostium, intus quae inter sese
ipsi egerint?

Ps. 598 (cantici versus est sc. anapaesticus)
symbolum me ferre et hoc argentum. nimis velim
certum qui id mihi faciat,

4. Plerumque ipsum pronomen relativum intercedit; cf.

Asin. 846 mihi quae ego exoptem volo.

Asin. 715 atque illa, sibi quae hic iusserat, mihi statuis?

Phorm. 461 is quod mihi dederit de hac re consilium,
id sequar.

Hec. 298 nova res ortast, porro ab hac quae me abstrahat.

Cist. 136 recens natum, eapse quod sibi supponeret,

vel **5.** alterum pronomen post verbum temporale reicitur; cf.

Ep. 108 quis erit, vitio qui id vortat tibi?

Cist. 587 commune quacum id esset sibi negotium.

vel **6.** longius inter se disiecta sunt; cf. Aul. 464 *hoc*

qui surriperent misero mihi. Men. 242 *ergo istuc quaero certum qui faciat mihi* [*qui* BD: *quid* C, *quid id* A; cf. Brix ad l.] Hec. 579 *ex te quae exoptem mihi.*

B. **Adverbia**[1]) eadem licentia fruuntur atque pronomina:

1. Praecedunt pronomen relativum his locis:

Mil. 1175 nunc tibi vicissim quae imperabo, ea discito.

Eun. 1049 sq. ... incredibilia,
Parmeno modo quae narravit.

Mil. 892 nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.

Capt. 137 foris aliquantillum etiam quod gusto, id beat (cf. Leo, *Bemerkungen über plautinische Wortstellung und Wortgruppen, relat. Gotting. 1895* p. 430 sq.).

2. Alterius generis sunt:

Bacch. 1051[2]) et militi quos dudum promisi miser.

Ep. 137 ego quod bene feci, male feci [*feci bene* B, cf. Leo, *Plautin. Forschgg.* p. 247 adn. 1].

Rud. 939 nam bonis quod bene fit, haud perit.

Poen. 373 quin tibi qui bene volunt, bene vis item?

3. Pronomen et adverbium in unum locum convenerunt his locis:

Hec. 386 ‚quaeque fors fortunast' inquit ‚nobis quae te hodie obtulit'.

Most. 79 triennium qui iam hinc abest.

C. Adverbiorum modo non solum **coniunctiones** sed etiam **notiones quaedam adverbiales** interponuntur:

1. ante pronomen relativum; cf.

1) Praedicatum adverbiale non tam severis regulis astrictum esse quam nominale supra (p. 27 sq.) vidimus.

2) De Cas. 67 cf. supra p. 29.

Poen. 81 argentum nisi qui dederit, nugas egerit.

Andr. 335 ego id agam, mihi qui ne detur.

Bacch. 966 post cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit.

Heaut 962 sq. et suavia in praesentia
quae essent, prima habere neque consulere in longitudinem.

Hi tamen loci singulares sunt atque artificiose comparati, nam Bacchidum versu — praeter quam quod cantici est — poetam consulto vocabula similiter sonantia iuxta posuisse quis est homo Plautinus qui nesciat? (De vocabuli *inermus* collocatione cf. infra p. 37); Terentiano autem loco ex eo, quod in exitu versus qui sequitur significatio contraria scripta legitur, poeta quid voluerit elucet.

2. Saepius post pronomen relativum collocantur; cf.

Most. 940 quid tu percontare, ad te quod nihil attinet?

Stich. 319 tua quod nihil refert, ne cures.

Hec. 810 tua quod nil refert, percontari desinas.

Aul. 162 post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum.

(*media* sc. *aetate*, ut subintellegendum est ex accusativo ἀπὸ κοινοῦ praemisso).

Stich. 572 dabitur homini amica, noctu quae in lecto occentet senem.

Men. 79[1]) homines captivos qui catenis vinciunt.

3. Complura huius modi vocabula coacervata occurrunt

Amph. 164 (*baccheorum speciem habet* Leo) me qui hoc noctis a portu ingratiis excitavit.

1) cf. Curc. 424 *clupeatus elephantum ubi machaera disicit* et Truc. 3 *Athenas quo sine architectis conferat.*

Phorm. 1030 habet haec ei quod dum vivat usque ad aurem ogganniat.

D. Alius generis vocabula locum inter vocem praemissam et pronomen relativum vel inter pronomen relativum et verbum temporale fere non occupant nisi dropter causam perspicuam, sc.[1])

Amph. 591 apud erum qui vera loquitur.

Cist. 248 deciens qui furcam feras.

Obiectum intermissum cum verbo temporali quasi in unam notionem coaluit; *furcam feras* etiam allitteratione continetur.

Similiter comparatus est

Mil. 690 verum prius quam galli cantent quae me e somno suscitet.

Nomen non necessario quidem ad verbum intellegendum additur (cf. Most. 382 *ecce autem ⟨iterum⟩ hic deposivit caput et dormit. suscita.* || *etiam vigilas?* e. q. s., Rud. 922 *dum erus se ad suom suscitet officium. nam qui dormiunt libenter* e. q. s.), sed cum verbi vim atque sententiam accuratius definiat (cf. Cic. Tusc. IV. 19 *quaerentibus respondebat, Miltiadis tropaeis se e somno suscitari.*) inter se constringuntur et quasi pro uno habenda sunt.

Quibus exemplis an subiungenda sint Terentiana haec:

Andr. 142 vitae qui auxilium tulit.

1) Rud. 857 *quos mecum duxi, hunc qui ad carnificem traderent* inversio e coniectura Camerarii originem cepit; scriptum enim legitur *qui hunc*, quo servato vocabula in versum non quadrant. Sed ibi potius corruptelam quaerendam esse opinor, ubi codice Ambrosiano teste latet, sc. in ipso verbo finito, quod — ut Studemundi verbis utar — „potius quam *trader*]*ent* in A fuit velut *acr*]*ent* vel *tra*]*ent*, vix *darent*". Tamen *darent* genuinum esse Pradelius (*De praepositionum in prisca latinitate vi atque usu, Diss. Vratisl. 1900/01* p. 474) Asin. 709 Capt. 1019 collatis probavit.

et Eun. 951 Thaidi hodie quae dono datast.

Ad. 155 *obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium* et Eun. 109 *puellam dono quidam mercator dedit* collatis diu dubitavi. Tamen cum nusquam nisi duobus his locis „puri sermonis amator" nomen interponere ausus sit, et *auxilium tulit* et *dono datast* in singulas notiones (sc. *helfen* et *schenken*) comprehendenda esse opinor.

Artem prae se fert

Most. 162 sq. haec illa est tempestas mea, mihi quae modestiam omnem detexit, tectus qua fui,

nam verbum temporale consulto ad ultimum locum enuntiati reiectum esse ex collocatione et adnominatione verbi infiniti enuntiati sequentis apparet. Similis est Trin. 727 sq. ad forum ibo: nudius tertius quoi talentum mutuom dedi, reposcam, ut...

Amph. 712 appellare itidem ut pudicae suos viros quae sunt solent.

an non excipiendus sit primo obtutu dubium esse videtur, sed revera hoc loco non agitur de sententia relativa, quae est *pudicae quae sunt*, obiecto intermisso, sed potius verba *quae sunt*, licet non sine pondere adiecta sint, tamen certe praeter necessitatem addita per se intellegenda sunt. Quae res sit, clarius elucet Ps. 460 *decet innocentem qui sit atque innoxium servom superbum esse* [*innoxius* AP, corr. Bothe (*-um* fort. A)], cum praedicatum quod est accusativum casum retinuerit (cf. etiam Capt. 206 sq. *scimus nos nostrum officium quod est* cum Pe. 616 *scio ego officium meum* et Poen. 12 *si tuom officium scias*).

Paulo aliter intellegendus est

Poen. 314 pleni oculi sorderum q u i e r a n t, iam splendent mihi [*pleni* P *ple* ... A (fort. *plelli*, certe non *pleni*); *sorderum* A: *sorderunt* P],

cum verba *qui erant* velut adverbii, quod tempus praeteritum significat, locum teneant; cf.

Rud. 1364 *tua q u a e f u i t Palaestra, ea filia inventast mea.*, ib. 822 *iam hoc Herculi est, Veneris fanum quod fuit.*

Singularis est cantici versus (cf. Leo ad l.)

Cas. 645 ludibrio p e s s u m a adhuc quae me habuisti.

Interdum verbum temporale vel eius pars hyperbato abrepta legitur, quo facto regula, quam supra statui, proprie ut opinor non violatur, cum altera figura dumtaxat alteram perrumpat; cf.

Cas. 537 meus vicinus, meo viro qui l i b e r u m praehibet l o c u m.

Hec. 303 tot meas iniurias quae numquam i n u l l o patefecit l o c o.

Heaut. 6 duplex quae ex a r g u m e n t o facta est s i m p l i c i.

Merc. 1017 a n n o s gnatus s e x a g i n t a qui erit

Ps. 190 sq. frumentum, hunc annum quod satis
mi e t f a m i l i a e o m n i sit m e a e.

Subiungam duos locos, qui exceptionis causam nihilo minus prae se ferunt, sc.

Cas. 565 in eum diem quoi q u o d a m e t in mundo siet,

ut enim pronomina aequalia iuxta ponantur, saepissime fit apud scriptores Latinos, et

Mil. 700 me uxore prohibent, mihi quae huius s i m i l e s s e r m o n e s serat,

ubi significatio attributi fecit, ut nomen obiectum se applicaret ad pronomen demonstrativum, quod per se legitime locum ante verbum temporale occupavit.

Iam ad eos locos pervenimus, qui cur usui communi

contradicant non apparet. Terentianos quidem alio revocavi (p. 34 sq.), Plautus verba licentius composuisse videtur.

Pe. 824 sq. quin tibi saltem staticulum, olim quem H e g e a faciebat.

Ps. 812 boves qui c o n v i v a s faciunt,

sc. *convivas* obiectum est, *boves* praedicatum.

Rud. 128 sq. [1]) hic dico, in fanum Veneris qui m u l i e r c u l a s
d u a s secum adduxit.

Men. 457 adfatim est hominum, in dies qui s i n g u l a s e s c a s edint.

Truc. 465 male quod m u l i e r facere incepit.

Duo loci, qui supersunt, canticorum sunt:

Bacch. 966 (iambicus octonarius) post cum magnifico milite, urbes verbis qui i n e r m u s capit.

Truc. 117 (senarius) vobis qui m u l t a b o n a esse volt.
|| dato, si esse vis.

Quoniam inter vocabula inversione coniuncta fere nulla alia vocabula interponere licere demonstravi praeter pronomina et adverbia vel nomina adverbiorum loco dicta, hoc idem **de loco ante vocem praemissam** valere ex figurae natura, quam perspicere et exponere conatus sum, facile est intellectu. Et revera exempla congruunt.

A. Praemittitur pronomen.

Ep. 465 sq. ego illam volo hodie facere libertam meam,
m i h i concubina quae sit.

Trin. 1055 sq. nam e g o talentum mutuom
quoi dederam, talento inimicum mi emi.

1) Cf. p. 24.

Ps. 948 ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quae det. [*savia super savia quae det* ς: *savia super viaque det* P, -*q*[*uae det*] fort. A].

Ad. 52 sq. postremo, alii clanculum patres quae faciunt, quae...

B. Adverbium.

Asin. 237 quin, si tu voles, domi servi qui sunt castrabo viros.

Cas. 176 domi et foris aegre quod siet, satis semper est.

Asin. 324 fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.

Hec. 298 em nova res ortast, porro ab hac quae me abstrahat.

Eun. 344 sq. mirum ni hanc dicit, modo huic quae datast dono.

Cf. Men. 564 *hodie tibi quam surrupuit domo.*

C. Notio adverbialis.

Capt. 929 satis iam audivi tuas aerumnas, ad portum mihi quas memorasti.

Mil. 1383 sq. cumulate commodidate, praeter ceteros duo di quem curant.

Rud. 321 cum istius modi virtutibus operisque natus qui sit.

Capt. 53 sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.

Ep. 372 aliquam dolosam fidicinam, nummo conducta quae sit.

Ps. 821 vivis convivis intestina quae exedint; *vivis convivis* ablativus absolutus est (cf. Poen. 1074 *ludenti puero quod memordit simia*) sc. *bei lebendigem Leibe*, ut barbare dicimus.

Aul. 541 sq. pro re nitorem et gloriam pro copia qui habent, meminerunt . . .
artificiose comparatus est.

D. Alius generis vocabulum

pronominum vel adverbiorum modo praepositum nusquam inveni nisi uno

Ep. 353 [1]) pater suam natam quam esse credit.

Quibus ex observationibus sequitur, ut **subiectum vel obiectum nominale**, nisi ipsum per inversionem pronomini relativo praemittitur (cf. p. 17 sq.), **fere ultra verbum temporale reiciatur**; cf.

Cist. 498 si illam uxorem duxero umquam, mihi quam despondit pater. [*umquam mihi quam* A: *mihi unquam quam* B², *mihi umquam* VE].

Merc. 257 navem, ex Rhodo quast heri advectus filius.

Mil. 140 nam unum conclave, concubinae quod dedit miles.

Poen. 1074 ludenti puero quod memordit simia.

Ps. 1069 hodie quas aps te est instipulatus Pseudolus.

Phorm. 838 ancillulam emptum, dudum quam dixit Geta. [*quam dudum* A].

Cist. 587 commune quacum id esset sibi negotium.

Bacch. 1051 et militi quos dudum promisi miser.

---

1) Ps. 390 variat lectio; codex Ambrosianus haec praebet: *pauci ex multis sunt amici homini certe qui sient*; Palatinorum recensio quae est: *pauci ex multis sunt amici homini qui certi sient* regulam respicere videtur. Sed non certa res est, nam constat vocem *hominis* persaepe fere pronominis locum tenere. Trin. 1130 *nam beneficium, homini proprium quod datur, prosumpserit,* locum simillimum una cum eo versu qui sequitur Leo propter sententiam alienam seclusit.

Mil. 892 nam id proderit mihi, militi male quod facietis ambae.

Faeneratr. I in barbaria quod dixisse dicitur libertus suae patronae, id...

Aul. 162 post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum.

Stich. 572 dabitur homini amica, noctu quae in lecto occentet senem.

Ps. 1217 qua facie fuit, dudum quoi dedisti sumbolum?

Merc. 273 ruri qui vobis exhibet negotium.

Liparg. I. nil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum.

Most. 740 quia venit navis, nostrae navi quae frangat latus. [*latus* post Leonem scripsi, cuius cf. adn. ad l.: *ratem* codd.].

Aul. 494 ego faxim muli, pretio qui superant equos.

Truc. 822 video ego te, propter male facta qui es patronus parieti. [*mala facta qui est* codd.].

Merc. 400 ea causa equidem illam emi, dono quam darem matri meae.

Rud. 616 agricolae, accolae propinqui qui estis his regionibus.

Capt. 271 proxumum quod sit bono quodque a malo longissume [*bonum* VE].

Rud. 1287 saltem ut eam abducam, de bonis quod restat reliquiarum.

Ps. 440 nam tu quod damni et quod fecisti flagiti. (*fecisti ἀπὸ κοινοῦ*).

Animadvertas quaeso et subiectum et obiectum fere ubique aut in exitu aut in initio versus locum habere. Cuius rei perscrutatio, licet dignissima sit quae suscipiatur, gravior est quam ut eam praeteriens hoc loco

ad finem perducere possim. Quam ob rem ad aliud tempus eam differam.

Pronomina quoque et adverbia vel notiones adverbiales saepe locum post verbum temporale occupare consentaneum est; cf.

Mil. 713 ille miserrumum se retur, minimum qui misit mihi.

Hec. 97 sed quid hoc negotist, modo quod narravit mihi? [*modo quae* CDEFP].

As. 572 ubi creditum quod sit tibi datum esse pernegaris.

Ps. 245 [1]) mane, em conloqui qui volunt te. [*volunt te* CD² *volunte* B *voluntate* D¹].

Curc. 481 ibi sunt subito quibus credas male.

Amph. 280 nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.

Andr. 918 habeo pró illa re illum quod moneam probe [*quod illum* CEP].

Merc. 840 ubique id eripiatur, animo tuo quod placeat maxume.

Cas. 2 fidem qui facitis maxumi, et vos Fides.

Pe. 472 ita ancilla mea quae fuit hodie, sua nunc est

Hec. 537 de hac re quod locuta es olim, ...

Asin. 226 haecine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?

Curc. 171 sane haud quicquamst, magis quod cupiam iam diu. [*iam* Gulielmus: *tam*].

Trin. 6 sq. et quae illaec siet, huc quae abiit intro, dicam

Men. 564 ferebat, hodie tibi quam surrupuit domo.

1) Conferas quaeso alterius Scipionum elogii v. 4: consol censor aidilis quei fuit apud vos.

Stich. 199 alienas res qui curant studio maximo.
Capt. 568 tu enim repertu's, Philocratem qui superes veriverbio.
Amph. 585b sq. sequere sis, erum qui ludificas dictis delirantibus.
Hec. 363 partim quae perspexi his oculis, partim quae accepi auribus. [sic codd. praeter A, qui praebet *percepi* pro *accepi*].
Ep. 432 egomet quod factitavi in adulescentia.
Rud. 1171 et bulla aurea est, pater quam dedit mi natali die.
Merc. 579 sq. aliquem arripiamus, prandium qui percoquat apud te hic usque ad vesperum.
Rud. 18 mali, res falsas qui impetrant apud iudicem.
Rud. 970 nisi ego nemo natust, hunc qui cepi in venatu meo.
Cas. 106 [1]) ego huc quod veni in urbem, si impetravero.
Pe. 826 Diodorus quem olim faciebat in Ionia.
Capt. 111 heri quos emi de praeda a quaestoribus.
Phorm. 461 [2]) is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.

Additamentum.

Parva enuntiatione aliqua interposita, cf.
Men. 220 tribus vide quod sit satis.
Rud. 954 furtum ego vidi qui faciebat.
Men. 242 ergo istuc quaero certum qui faciat mihi.
Mil. 1302 sq. aurum, ornamenta, vestem, pretiosa omnia duc adiutores tecum ad navim qui ferant.
inversionis figura non nisi specie disicitur.

1) Cf. inscriptionis sacrae Agnonensis (v. Pl. 200 A, 1.) statús · pús · set · húrtín. kerríiín ...
2) De nomine *consilium* adiecto infra (p. 75) agam.

His regulis, quas de inversione, quam propriam nominaverim, valere statui, admodum **contradicunt ea exempla, ubi attributum pronominis relativi vel participium coniunctum praemissum legitur** (cf. p. 23). Quae multo licentiorem collocationem verborum praebere iam Leo (*G. g. A. 1897* p. 957) monuit. Etenim deest ratio illa grammatica, quam vocabulum praemissum cum verbo temporali coniungere vidimus; vocabulum praemissum potius ad ipsum pronomen relativum pertinet, a quo nulla voce interposita usquam seiungitur [1]). Rem ita se habere consentaneum est. Vocabula autem, quae pronomen relativum sequuntur, nihilo magis certis regulis constringuntur, quam si nullum vocabulum praemittatur. Cf.
Rud. 744 trima quae periit mihi, iam tanta esset.
Amph. 918 sq. quin huc adducis meum cognatum Naucratem, testem quem dudum te adducturum dixeras?
Truc. 355 sq. Lemno adveniens qui tuae non des amicae, Diniarche, savium.
Most. 359 ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit.
Boeot. I. 1 ut illum di perdant, primus qui horas repperit.
Stich. 140 hostis est uxor, invita quae viro nuptum datur.
Capt. 759 sq. perdidi unum filium, puerum quadrimum quem mihi servos surpuit.
Stich. 341 quid ego, misero cui medullam ventris percepit fames. [*quoi misero* P]
Ad. 69 malo coactus qui suom officium facit.

1) Respicias imprimis Truc. 355 et Ad. 69, qui notionem adverbialem participio praeponunt.

Men. 212 infra (p. 51 adn.) exscribam et quid de hoc loco censeam exponam.

Attributo vel participio coniuncto praetermisso nulla vocabula pronomini relativo praeponuntur, nisi cum verbo temporali grammatica ratione cohaerent. Desunt e. g. loci Latini, qui genitivum partitivum quod a pronomine relativo pendeat huic praemissum praebeant, cum apud Homerum complures huius generis locos exstare supra (p. 6 adn.) vidimus[1]; homines Latini genitivum partitivum post verbum temporale ponebant, cf. Rud. 1287 Ps. 440.

Caput III.

Ab inversione[2]) pronominis relativi **hyperbaton** non esse secernendum is concedet, qui confert has sententias inter se simillimas *erus: quod facit* (sc. inversionem) et *erus quod facit bonus* (sc. hyperbaton). Eo maxime differunt quod, cum inversio grammatica ratione quae inter vocabulum praemissum et verbum temporale intercedit contineatur, in hyperbato ea ratio grammatica quae accedit, vocabula attributive inter se cohaerentia constringit. Quo fit, ut hyperbaton inversione multiformius sit, nam haec unam illam collocationem verborum admittit, quae est *erus quod facit*, in illo autem attributum *bonus* etiam verbo temporali praeponere licet, sc. *erus quod bonus facit*, vero etiam *bonus quod facit erus* vel *bonus quod erus facit* dicere. Quae quidem collocationum varietas docere videtur hyperbaton regulas illas, quas de inversione statui, prorsus respuere. Tamen in rem meam esse opinor nulla dubitatione interposita exempla eo ordine explicare, quasi

1) Nisi potius genetivus partitivus ad primariam trahendus est.
2) Propriam illam dico.

regulas inversionis pro fundamentis habeam. Quo iure id fecerim infra exponam.

Hic quoque ab iis locis, qui structuram quam planissimam exhibeant, proficiscamur, sc. ubi pronomen relativum secundum locum enuntiati occupat; verbum autem temporale aut — sc. vicies quater — ad pronomen relativum se applicat, aut — sc. sedecies — post vocabulum cum praemisso illo attributive coniunctum recedit.

A. Pronomen aliquid a nomine suo per hyperbaton secluditur.

1. Plerumque pronomen praemittitur.

Truc. 789 mea quem peperit filia.
Cist 317 meum quae corrumpit filium.
Ps. 631 meam qui furcilles fidem.
Ps. 830 meas qui essitabunt escas. [*quis essit* (*esit* CD) *habunt* P].
Capt. 101 tuom qui mutet filium [*qui commutet* codd.].
Capt. 342 suom qui conveniat patrem.
Trin. 687 tua qui toleres moenia.
Amph. 1139 nostro qui est susceptus semine.
Truc. 771 meus qui adfinis fuit [*meusque* (cf. Curc. 550) codd.].
Capt. 881 meum qui gnatum surripuit.
Curc. 580 meam qui latrinam lavat.
Ps. 528 tuos quam gnatus deperit.
Mil. 32 tuas qui virtutes sciam.
Hec. 212 suos cui liberos committerent.
Asin. 725 huius quas dem matri.
Phorm. 753 harum qui est dominus aedium [*est* et *dominus* unum verbum efficiunt].

2. Rarius nomen substantivum pronomini relativo praemittitur.

Rud. 1355 lingua quod iuret mea.
Trin. 676 genus qui restinguas tuom.
Trin. 678 genus qui congliscat tuom.
Eun. 466 pace quod fiat tua.
Hec. 660 mater quod suasit sua.
Cf. Lucili v. 780 *vitam ac fortunas cui concrediderim meas.*
Cas. 658 viro quae suo interminetur [sic (vel *interminatur*) A: *viro suo quae inter minatur* P, quae lectio metrum offendit (cf. Leo *Plautin. Cantica* p. 46)].

B. Nomen adiectivum a substantivo suo seiungitur.

1. Adiectivo praeposito.

Amph. 863 in superiore qui habito cenaculo.
Hec. 840 multa ex quo fuerint commoda[1]).
Asin. 256[2]) alii quod servi solent.
Huic loco subiun gere liceat.
Hec. 12 novas qui exactas feci, ut inveterascerent.

2. Nomen substantivum rarius praeponitur.

Cas. 223 fel quod amarumst, id mel faciet.
Merc. 75 metretas quae trecentas tolleret.

C. Nomen a nomine ex quo pendet arcetur.

1. Nomen pendens praemittitur.

Ep. 183 senis qui exenterem marsuppium.

1) Cist. 611 *medioxumam quam duxit uxorem, ex ea...* alio spectat, cf. infra p. 75.

2) Huius generis unum extat exemplum Homericum sc. μ 330 sq. (cf. Otto, *Beiträge zur Lehre vom Relativum bei Homer Weilburg 1853* p. 10)

καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον ἀλητεύοντες ἀνάγκῃ,
ἰχθῦς ὄρνιθάς τε, φίλας ὅ τι χεῖρας ἵκοιτο.

Ep. 188 senati qui columen cluent.
Stich. 274 Iovis qui nuntius perhibetur.

2. Alterum nomen praemittitur.

Truc. 12 nomen cui est Phronesium.
Cas. 538 modio qui venit salis [*modius* AP].
Poen. 1287 mina quem argenti circumduceret.

D. Etiam nomina particula copulativa coniuncta disiciuntur.

Amph. 61 reges quo veniant et di.
Ep. 292 iure qui et leges tenet; cf. Lucili v. 484 sq.
Fauni quas Pompiliique instituere ...

E. Participium coniunctum praemissum legimus.

Merc. 873 properantem qui me commorare.

F. Adverbium ab altero adverbio vel adiectivo, cui ut accuratius id definiat praemittitur, hyperbato divellitur.

Most. 1142 nimis qui es orator catus [*quis* codd.] *orator* praedicatum est, cf. Phorm. 753 et
Heaut. 205 paulo qui est homo tolerabilis.
Phorm. 565 aeque quod faciam lubens [*quod aeque* B].

Sicut vocabula inversione constricta fere nusquam divelli supra docui, nisi forte aut de pronominibus vel adverbiis et quae eius generis sunt vocabulis interpositis agitur, aut de cantici versibus, aut de locis figuratis, sic hyperbati figura nihilo minus indissolubilis esse videtur.

1. Pronomina quidem et adverbia et notiones adverbiales interponuntur:

Curc. 550 tuom qui signum ad me attulisset [*tuumque* (cf. Truc. 771) VE].

Ps. 719 tuam qui amicam hinc arcessebat.

Hec. 600 volgus quod male audit mulierum[1]).

Andr. 630 denegandi modo quis pudor paulum adest [*in denegando* codd.].

Cf. Enni ann. 374 sq. *sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo vicit*...

Cist. 237 Leonis emendatione recepta sed ego primum, tot qui ab amica abesse potuerim dies [*eo* sequente personae spatio A, sed ut legi possit *pol, pot* vel *tol, tot*].

Bacch. frgm. VII suam qui auro vitam venditat.

2. Canticorum sunt:

Most. 899 sq. heus, ecquis hic est, maximam qui his iniuriam

foribus defendat? [*q*[*ui his*] AP]

sed de metro non constat, cf. Leo *Plautin. Cantica* p. 95 et Lindsay ad l; Guietus ‚trimetrum faciens' hanc proposuit lectionem: *maximam his qui iniuriam.*

Stich. 15 sq. viris qui tantas apsentibus nostris facit iniurias immerito.

Accedunt versus adhuc corrupti sc.

Stich. 12 sq. patrem tuom meumque adeo, unice qui unus civibus ex omnibus probus perhibetur.

3. Versus figurati partim vocabula attributive coniuncta quam longissime intra versum seiuncta prae-

1) Truc. 447 quam mihimet omnia qui mihi facto mala [*qui* e corr C, *quę* D, A n. l.]
locum mendosum Fleckeisen correxit scribens:
quam mihi, qui mihimet omnia facio mala.

bent (cf. Norden ad *Aeneidos* lib. VI p. 382):

Men. 743 tuam qui possim perpeti petulantiam.

Trin. 214 bonis qui hunc adulescentem evortisset suis [*suis* P: *omnibus* A].

Truc. 869 aetatem qui non cubili ⟨uni⟩ umquam committit suam [*aetatem quin ocubilium quam committit suum* codd., corr. Buecheler];

cf. Lucili v. 585 iucundasque puer qui lamberat ore placentas.

partim etiam artificiosius disposita:

Merc. 336 (tetram. bacchius) neque advorsa cui plura sint sempiterna.

Merc. 340 (dim. anap.) bonum quae meum comprimit consilium.

Heaut. 29 novarum qui spectandi faciunt copiam; cf. Leo *Analecta Plautina* II p. 24;

Men. 902 meus Ulixes, suo qui regi tantum concivit mali.

verbum temporale per se hyperbato excipitur.

Restant aliquot loci qui, quamvis primo obtutu regulas offendere videantur, tamen ad amussim comparati sunt:

Trin. 356 et aliis qui comitati simus benevolentibus, nam verba *comitati simus* pro uno habenda sunt (cf. Brixi adnot. ad l.);

Rud. 985 meum quod rete atque hami nancti sunt, nam *meum quod ἀπὸ κοινοῦ* positum est cf. Trin. 327 (p. 50);

Curc. 117 sq. (tetram. bacch.). tibi qui screanti, siccae, semisomnae

adfert potionem;

unius attributi loco tria leguntur.

Exceptiones quas adhuc enumeravi eius generis sunt, ut potius ad regulas probandas valeant, quas exemplis supra laudatis illustravi. Omnibus his locis **duo tantummodo figurae exempla obstant,** quae eo quod obiectum verbo temporali praeponunt, regulas neglegere apparet, sc.

Stich. 601 mea qui causa s u m p t u m fecit.

(cf. *facere sumptum* Asin. 218, Bacch. 98, Capt. 856, Stich. 692, *fecisse sumptum* Most. 1165; similiter Terentius: *facere sumptum* Andr. 450, sed *sumptum fecit* Ad. 865) et

Trin. 327 minus qui caute et cogitate s u a m r e m tractavit [1]),

nam plerumque obiectum vel subiectum adiciendum, sicut in inversione fieri vidimus, ultimo loco enuntiati ponitur; cf.

Merc. 979 filio suo qui innocenti fecit t a n t a m i n i u r i a m

Merc. 261 filius quam advexit meus m a t r i a n c i l l a m s u a e.

Cf. Stich. 15 sq. Curc. 117, quos supra (p. 48 et 49) iam exscripsi.

Truc. 438 germanae quod sorori non credit s o r o r.

Apparet hyperbati exempla, quae adhuc contuli, iisdem regulis circumscribi posse atque inversionis, hac exceptione ut sive attributum sive id vocabulum, a quo attributum praemissum pendet, persaepe verbum temporale praecedat; scilicet vocabula attributive inter se coniuncta non longius separari debere e natura hyperbati facile intellegitur. Sed quid de **collocatione verbi temporalis** censeamus? Cur id non solum ultimum locum enuntiati evitare, sed etiam saepissime ad ipsum pronomen relativum se applicare dicamus? Num fieri potuisset, ut, si inversionem silentio praeterissemus, hanc proprietatem ex una hyperbati structura deduceremus atque intellegeremus? Id quidem nego. Nam quod in inversione verbum temporale cum vocabulo praemisso grammatica ratione cohaeret, id de hyperbato fere non valet; cf. e. g. omnes eos locos quos sub A 1, B 1, C 1, F contuli; atque hoc loco diserte repetam necesse est, quod iam supra occasione data monstravi, maiorem partem exemplorum — sc. quinquaginta quinque inter octoginta quattuor — ipsum attributum pronomini relativo praepositum praebere. Nonne autem, cum de inversione quaereremus, vidimus attributo praemisso, quippe quod cum verbo temporali grammatica ratione non cohaereat, collocationem verborum multo licentiorem fieri? — Neque igitur eorum locorum, qui praeter verbum finitum infinitum exhibent, ordo verborum nos adiuvat (Cf. p. 25 sq.). Sunt autem hi:

Poen. 1388 et hunc, cognatum quem tuom e s s e i n t e l l e g o.

Rud. 701 minus quod bene e s s e l a u t u m tu a r b i t r a r e.

Poen. 773 sq. eum adlegarunt, suom qui servom d i c e r e t cum auro e s s e apud me.

Poen. 210 negoti sibi qui v o l e t v i m p a r a r e.

Ep. 436 suam qui u n d a n t e m chlamydem quassando f a c i t [1]).

Cist. 237 et Men. 743 iam supra (p. 48 et 49) exscripsi.

---

1) Asin. 83 cupio esse amicae quod det a r g e n t u m suae ab his locis alienum esse infra docebo cf. p. 79.

1) Men. 212 *madida quae mi adposita in mensa miluinam suggerant* huc non pertinet, participium enim enuntiati hypothetici locum tenet, *madida* pro attributo pronomini relativo adiecto habendum est. Aliter igitur comparatus est hic locus atque Hec. 12 et potius inversionis exemplis attribuendus.

Quocum convenit nonnulla exempla extare, quae praeter vocabulum praemissum **non solum pronomen aliquod vel adverbium vel notionem adverbialem** (cf. supra p. 37 sq.) **ultro praepositam praebeant**, cf.

Aul. 107 nam noster nostrae qui est magister curiae.

Eun. 235 itidem patria qui abligurrierat bona.

Trin. 636 satis in rem quae sint meam.

Mil. 691 kalendis meam qui matrem munerem.

Merc. 547 decurso spatio breve quod vitae relicuomst. [sic P (sed *inspatio* et *reliquumst*): *breve iam reliquom vitae spatiumst quin ego* A; cf. Leo *Anal. Pl.* I p. 12] **sed etiam obiectum**; cf.

Truc. 648 argentum meo qui debebat patri.

Truc. 35 quasi in piscinam rete qui iaculum parat.

vel praedicatum; cf.

Hec. 117 et haec communia omnium quae sunt patrum [*omnium communia* DF].

vel attributum pronominis relativi; cf.

Heaut. 841 labore inventa mea quoi dem bona.

Phorm. 732 exanimata a fratre quae egressast meo.

Quod non mirum est, postquam docui vim verbi temporalis de vocabulis praemissis non item valere atque in inversione.

Ergo — ut quae res sit repetam — quas regulas de hyperbato valere statuimus, insitivae sunt sc. ex inversione illatae, exceptiones autem ratione grammatica probantur: altera igitur figura ad alteram structurae probantur: altera igitur figura ad alteram conficiendam et excolandam pertinebat et — nisi fallor — eam gradatim suis regulis subiciebat.

Quae coniectura utrum vera sit an non, is diiudicare poterit, qui progressionem structurae per maius

spatium temporis observaverit[1]) quam ego. Quod locos a me collatos attinet, id quidem commemoratione dignum puto, Stich. 601 et Trin. 327 (cf. p. 50), qui, cum obiectum verbo praemissum praebeant, quasi pro residuis habendi sunt, Plauti esse; Terentius nullum huius modi exemplum praebet.

Altera pars.

De usu adiectivo pronominis relativi Latini.

Stirpes *quo-* et *qui-*, iam antequam pronominis relativi partes susceperunt, praeter usum substantivum etiam usu adiectivo usurpari solebant, sc. in interrogationibus et ubi indefinite dicebantur. Quapropter suspicari licet, hanc proprietatem eas retinuisse neque opus fuisse attractione illa, qua adhibita cum linguae Aricae tum lingua Graeca stirpem substantivam *io*-ad usum adiectivum pedetemptim aptabant. (Cf. de hac re Ed. Hermann *Das Pronomen ios als Adjectivum*, *Programm, Coburg 1897* p. 26 sq.) Et profecto rem ita se habere multa exempla loquendi confirmare videntur. Quorum primas afferam compositiones usitatissimas interrogativas (sc. *quam ob rem* sim.), quae in enuntiatis relativis passim reperiuntur, ut dubium esse nequeat, quin — quoquo modo haec originem cepisse censemus — eodem quo ipsum pronomen tempore ad usum relativum assumptae sint.

---

1) Sed non poetae Latini, qui post Terenti aetam vixerunt, sicut Schuenke l. s. fecit, sed e. g. Cato, Ciceronis epistulae, Varro, sc. ea opera perquirenda sunt, quae sermonem cottidianum redolent.

Ut universa quaedam praemittam, hanc translationem non omnino effectu caruisse consentaneum est. Compositio relativa qualis est *quam ob rem* sim. eo potissimum differt ab interrogativa, quod aut ad certum membrum primariae aut ad totam primariam spectat, cum interrogativa, quamvis obliqua dicatur, non habeat, quo eodem iure referatur nisi ipsum responsum. Cum autem responsum grammatica ratione cum huius modi interrogationibus non cohaereat, apparet, quanto accuratiori relationi compositionem interrogativam se submittere opus sit, quotienscumque in enuntiato relativo ponitur. Quo factum est, ut nomen non solum ad pronomen relativum arte se applicaret, sed etiam in quibusdam quidem compositionibus artius atque artius cum pronomine coalesceret et significationem sibi ascisceret angustiorem atque angustiorem.

Cum igitur in interrogationibus scriptum legamus e. g. *quid istuc ad me attinet, quo tu intereas modo?* (Ep. 75), *at scio quo vos soleatis pacto perplexarier* (Aul. 259), *qua accersitae causa ad me estis eloquar* (Cist. 82), in enuntiatis relativis has compositiones nusquam scindi apparebit, nisi pronominibus vel particulis enclitice intermissis (qua de re cf. Wackernagel *Idg. Forschungen* 1 p. 407 sq.). Una compositio quae est *qua gratia* excipiatur, quippe quae non solum semper verbum temporale intermissum praebeat, sed etiam ipsum nomen semper ultimo loco versus vel coli positum, cf.

Curc. 454 sequere hac, te absolvam qua advenisti gratia.

Asin. 536 non voto ted amare qui dant quá amentur gratia [*quoia* Bergk ad hiatum removendum, (cf. infra p. 57 ad Bacch. 948): *qui* B ante corr.].

Rud. 90 neque id processit, qua vos duxi gratia.

Truc. 9 sed hoc agamus, quá huc ventumst gratia [*quoia* Bergk (cf. ad Asin. 536): *quia* D].

Aul. 435 (versus Reizianus) quid est quá prohibes nunc gratia nos coquere hic cenam? [*qua*: *quia* B' D V'].

Huius compositionis ad exemplum singulare illud Terenti formatum esse videtur

Phorm. 567 quid? qua profectus causa hinc es Lemnum, Chremes,
adduxtin tecum filiam?

Sed ipsa exempla aggrediamur. Omnium saepissime invenitur compositio quae est **quam ob rem.** Iam apud Plautum tam arte cohaeret, ut a pronomine generis neutri primariae pendeat, quasi ipsa pronominis locum teneat:

Aul. 735 sq. quid ego ⟨de te⟩ commerui, adulescens, mali, quam ob rem ita faceres?

Capt. 669 sed quid negoti est, quam ob rem suscenses mihi?

Curc. 172 hoc etiam est, quam ob rem cupiam vivere.

Most. 415 ne quid potiatur, quam ob rem pigeat vivere.

Ps. 1255 hoc est homini quam ob rem vitam amet.

Stich. 82 quom nil, quam ob rem id faciam, meruisse arbitror. (cf. Amph. 1142).

Accedunt hi loci Terentiani:

Heaut. 337 nil satis firmi video, quam ob rem accipere hunc mihi expediat metum.

Hec. 529 sq. sed demiror
quid sit quam ob rem tantopere omnes nos celare volueris
partum.

Ad. 592 ego in hac re nihil reperio, quam ob rem lauder tantopere, Hegio.

Sed restant loci qui Terentium ultra usum Plautinum progressum esse doceant, nam non solum compositio ad vocem *causae* refertur, cf.

Andr. 381 sq. dictum ac factum invenerit aliquam causam, quam ob rem eiciat oppido (cf. Pe. 782).

Andr. 837 ubi ea causa, quam ob rem haec faciunt, erit adempta his, desinent.

Eun. 1000 sq. nam iam diu aliquam causam quaerebat senex, quam ob rem insigne aliquid faceret eis.

Hec. 382 o mi Pamphile, abs te quam ob rem haec abierit, causam vides.

Hec. 452 sq. quam causam dicam patri, quam ob rem non redducam, nescio.

Hec. 695 sq. nam ei causa alia quae fuit, quam ob rem abs te abiret?

sed etiam ad pronomen demonstrativum generis masculini atque in novissima quidem comoedia:

Ad. 435 sq. ego vero hinc abeo, quando is, quam ob rem huc veneram, rus abiit.

Ceterae quae voce rei adhibita formantur compositiones raro leguntur, neque eas inveni apud Plautum; Terentius haec praebet exempla. Sed cf. p. 62 sq.

Hec. 308 sq. nam saepe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est, quom de eadem causa est iracundus factus inimicissimus.

Phorm. 270 sq. si est, patrue, culpam ut Antipho in se admiserit, ex qua re minus rei foret aut famae temperans.

Qua causa apud Plautum eandem significationem habet ac *quam ob rem*; spectat modo ad totam sententiam primariam:

Bacch. 249 sq. qua causa eum in Ephesum miseram, accepitne aurum ab hospite Archidemide?

Rud. 31 nunc, huc qua causa veni, argumentum eloquar.

modo ad pronomen generis neutri:

Men. 490 quid de te merui, qua me causa perderes?

Merc. 473 quando id mi adimitur, qua causa vitam cupio vivere.

Longius autem locutio non progressa est, nam ad pronomen generis masculini non spectat, sed pro eo voci *causae* praemittitur genitivus casus pronominis relativi sc. substantivi, cf.

Capt. 1009 et tu, quoius causa hanc aerumnam exigo [*quoius* B²: *cuius* Nonius 291, *quouis* E, *quouus* B¹? *quę vis* V].

Trin. 1090 propter eosdem quorum causa fui hac aetate exercitus.

vel pronomen possessivum stirpis *quo-* adhibitur ad personam spectans:

Bacch. 948 is Helenam avexit, cuia causa nunc facio obsidium Ilio.

Quod Ep. 41 est causa qua causa simul mecum ire veritust *qua causa* a nomine substantivo primariae pendet, cave ne locum cum illis conferas, ubi *quam ob rem* ex voce *causa* pendere vidimus, sc. Terentianis; sui enim est generis, cum polyptoti instar nomen repetatur (cf. infra p. 68 et 69).

Quod Terentium attinet, praeter Phorm. 567 illum supra (p. 55) exscriptum, compositionem prorsus dissolu-

tam praebet, ita ut nomen in primaria positum legatur:
Heaut. 87 hac quidem causa, qua dixi tibi.
Heaut. 989 vera inventast causa, qua te expellerent.

Quae res admodum mirabilis inde intellegi potest, quod compositio *qua causa* a principio non tam rigide compacta fuit quam *quam ob rem.* Habebat enim ablativus casus *causa* suam sibi semper significationem sc. *propter* et coniungebatur cum genitivo casu nominis; sola pronomina ablativo casui per attractionem se submittere solebant sc. *mea causa*, *ea causa* etc.; itaque etiam *qua causa* dicebatur. Notio autem solius casus *causā* praevalebat, ut compositio ad personam vel pronomen masculini generis referri non pateretur; et cum viderimus compositionem *quam ob rem* paulatim artius artiusque coaluisse, ut obstaret dissolutioni, cui, quo magis structura relativa excolebatur, i. e. quo magis ab interrogativa differebat, eo magis patebat, *qua causa* postremo dilabebatur.

Quo modo ad adverbium spectat:
Cist. 46 necesse est, quo tu me modo voles esse, ita esse, mater.
Conferas etiam
Most. 1146 iam minoris ⟨omnia alia fa⟩cio, prae quam quibus modis
me ludificatust.

Quo pacto iam Plautus a nomine pendens praebet:
As. 506 sq. ubi piem pietatem, si istoc more moratum tibi
postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?
Capt. 35 sq. hisce autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
quo pacto hic servos suom erum hinc amittat domum.

Ep. 193 ipsi hi quidem mihi dant viam, quo pacto ab se argentum auferam.
Pe. 325 sq. nam iam omnes sycophantias instruxi et comparavi,
quo pacto ab lenone auferam hoc argentum.
Cum autem *eodem pacto*, *alio pacto* et quae eius generis sunt, non minus usitata essent, valebant ad pronomen relativum solum relinquendum, cf.
Trin. 710 eodem pacto, quo huc accessi, apscessero.
Cas. 512 sq. ego nunc vicissim ut alio pacto condiam,
quo id quoi paratum est ut paratum ne siet. [*quo id* VE²: *quod id* B *quid* E¹].
Cas. 650 sq. malum pessumumque hic modo intus apud nos
tua ancilla hoc pacto exordiri coepit,
quod haud Atticam condecet disciplinam [1]).

Cum Most. 1146 paulo ante exscripto consentit:
Merc. 469 sq. nugas maximas
fuisse credo, praeut quo pacto ego divorsus distrahor.

Ibi quoque compositions olim interrogativas agnosci opinor, ubi de significatione temporis vel loci agitur, sc. **quo die** et quae eius generis sunt:
Bacch. 341 quin habeas illud quo die illuc veneris.
Poen. 343 sq. quando illi apud me mecum caput et corpus copulas?
|| quo die Orcus Acherunte mortuos amiserit.
Amph. 532 nam qua nocte ad me advenisti, eadem abis.
Eun. 542 quo in loco dictumst, parati nil est.
Hec. 73 aut qua via te captent, eadem ipsos capi?

1) Cf. Ps. 798 si me arbitrabare isto pacto, ut praedicas.

Animadversione non indignum esse puto Plautum quidem uno Bacch. v. 341 talem compositionem in secundaria postposita adhibere, neque autem Terentium; diutius igitur hae compositiones enuntiationibus relativis praemissis in usu erant. Quod ideo factum esse videtur, quod secundaria praemissa ad constructionis perspicuitatem augendam valebant.

Hec. 136 sq. nocte illa prima virginem non attigit;
quae consecutast nox eam, nihilo magis.

Terentius ad eam audaciam processit, ut hanc structuram ad nominativum transferret.

Ne his locis adnumeraveris

Vid. 90 quam ad redditurum te mihi dices diem, cave
demutassis,

quocum loco Redslobio auctore (cf. *Fleckeisens Jahrbücher 145* p. 214 sq.) contulerim:

Ps. 279 hunc pudet, quod tibi promisit quamque ad
promisit diem [*quamquam id promisit die* P: *quaque id promisit die* A],

nam iam idcirco ab iis differunt, quod verbum temporale intercedit. Et revera non erat usitata compositio interrogativa *quam ad diem?* neque enim invenitur apud Plautum neque apud Terentium, qui pro ea *quoad?* praebet (sc. Phorm. 148; cf. Ps. 622 sq. et Phorm. 523 sq.) Quod susperest cf. infra p. 72 sq.

Sui iuris est **vox hominis.** Quamquam enim non in certis compositionibus ab usu interrogativo ad relativum transiit, tamen sicut pronomini interrogativo et indefinito persaepe et fere praeter necessitatem adiecta legitur, sic etiam pronomini relativo additur hoc maximo discrimine, quod semper quam proxime ad id se applicat. Imprimis eos versus afferam, ubi *qui homo* primo loco secundariae praemissae posita legitur, ut

barbare vertamus pronomine *wer.* Sententiae quasi proverbiorum modo pronuntiantur.

Aul. 790 qui homo culpam admisit in se, nullust
tam parvi preti.

Most. 1041 qui homo timidus erit in rebus dubiis,
nauci non erit.

Rud. 485 sq. qui homo sese miserum et mendicum
volet, †
Neptuno credat sese ...

Curc. 380 sq. qui homo mature quaesivit pecuniam,
nisi eam mature parsit, mature esurit.

Trin. 305 qui homo cum animo inde ab ineunte aetate
depugnat suo, ...

Poen. 874 coniunctione praeposita
verum. enim qui homo eum norit, norit. cito homo
pervorti potest;

sic Leo (cf. app. crit.) locum spinosum interpretatus est.

Dativus casus usurpatur in luculenta illa locutione, ubi vox hominis non sine consilio voci dei opposita esse videtur:

Curc. 531 quoi homini di sunt propitii, lucrum ei
profecto obiciunt; cf. Curc. 557 et Pe. 470.

Atque etiam iis locis vox hominis pronomini relativo adiecta legitur, ubi primaria antecedit, cum ea tamen exceptione, ut iis simul ἦθος quoddam addat. Commiserationem prae se ferunt:

Poen. 823 sq. satis spectatum est, deos atque homines
eius neglegere gratiam,
quoi homini erus est consimilis velut ego habeo
hunc huius modi.

Capt. 827 sq. sed ego cesso hunc Hegionem onerare
laetitia senem,

quo homine ⟨hominum⟩ adaeque nemo vivit fortunatior [*quo* ς: *qui*, ⟨*hominum*⟩ Camerarius];

haec dicit: quamvis miserrimum se reatur, nemo est, ad quem melior fortuna pertineat Hegione.

Cas. 949 sq. sed ecquis est qui homo munus velit fungier
pro me?

quem locum ita fere circumscribere licet: ecquis est homo tam miser, ut velit e. q. s. Trin. 1069 quomodo intellegendus sit, infra explicabo.

Plerumque vox hominis cum contemptu adicitur, sicut Cleostrata virum increpat Cas. 266 dicens: *tu ecastor tibi, homo, malam rem quaeris.* Huc conferam eiusdem fabulae v. 257 sq. ubi Lysidamas Cleostratae persuadere vult, ut Casinam *vilico servo frugi* nuptum det, neque *illi servo nequam,*

armigero nili atque improbo,
cui homini hodie peculi nummus non est plumbeus.

Curc. 170 Palinurus Phaedronum his verbis obiurgat:
ipsus se excruciat, qui homo quod amat videt nec potitur dum licet.

Cf. etiam Men. 903, Ep. 121, Ps. 1196, quos infra (p. 67 sq.) exscribam.

Apud Terentium nullum huius modi exemplum inveni.

Stilum elatum prae se fert Enn. ann. v. 306 sq. (cf. v. 34)

is dictust ollis popularibus olim,
qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
flos delibatus populi ...

Vox rei quoque extra compositiones illas, quas supra congessi, pronomini relativo addita legitur, sc.

in certis locutionibus, ubi eam antiquitus locum habuisse exempla satis docent. Primam afferam formulam illam notissimam *res bene vortat* sim. (cf. Curc. 662 *quando res vortit bene*, Trin. 534. *quin pessume ei res vorterit*, Truc. 147 *male vertit res pecuaria mihi apud vos*, Merc. 122 *quam restito, tam maxime res in periclo vortitur*, Rud. 1178 *cum istaec res male evenit tibi*, (cf. Rud. 1365 Trin. 507)). Verba *quae res* aut ad totam primariam — sc. postpositam — referuntur:

Aul. 218 sq. quae res recte vortat mihique tibique tuaeque filiae,
filiam tuam mi uxorem posco.

ib. 787 sq. nunc quae res tibi et gnatae tuae
bene feliciterque vortat — ita di faxint, inquito.

Capt. 361 sq. quae res bene vortat mihi meoque filio
vobisque, volt te novos erus operam dare.

aut ad pronomen demonstrativum generis neutri — primaria praeposita —:

Asin 1 sq. hoc agite sultis, spectatores, nunciam,
quae quidem mihi atque vobis res vertat bene
gregique huic ...

Exempla, quae adiunctioni relativae attribuenda sunt, suo loco enumerabo (p. 66).

Deinde *rei operam dare* (cf. Pe. 333 *quoi rei opera detur scis, tenes, intellegis*, Cas. 773 *ei rei dant operam*, Bacch. 297, Cist. 184 sq., Men. 234, Merc. 551, Pe. 372, Ps. 1115, Trin. 119, 865). Verba *quoi rei* e pronomine demonstrativo generis neutri primariae praemissa pendent:

Pe. 393 si hoc adcurassis lepide, cui rei operam damus.

Poen. 815 quando id, quoi rei operam dedimus, impetravimus.

Tum huc attinere censeo dictionem quae est *rem agere* (cf. Amph. 270 *observabo quam rem agat*, Bacch. 404 *hinc auscultabo quam rem agant*, pro quo fere saepius occurrit *rem gerere*, passim).

Merc. 337 sq. satin quidquid est, quam rem agere occepi,
proprium nequit mihi evenire quod cupio?

Contraponam
Lucili v. 1227 nunc ad te redeo, ut quae res me impendet, agatur,
a sermone Plautino prorsus alienum, cum verba *quae res me impendet* illis locutionibus quas attuli non conferri possit.

Apud Terentium nullum exemplum investigavi, quod cum Plautinis conferatur.
Unus Enn. v. 57 sq. quae res in se neque consilium neque modum
habet ullum, eam consilio regere non potes.
proverbii speciem habet et ad eorum potius locorum exemplum comparatus esse videtur quos p. 60 sq. contuli.

At usus adiectivus pronominis relativi non solum iis locis extat, ubi de certa compositione aut certis locutionibus agitur, sed etiam nativa stirpum facultas quibusdam structuris linguae Latinae propriis occasionem dedit. Hoc tantum exemplis colligendis praemitto, ea quoque fere semper nomen pronomini quam proxime appositum praebere.

Primum **pronomini relativo adiungi solet nomen, quod notione magis universa rem vel res significat, quae in primaria praemissa nominantur:**

Aul. 95 sq. cultrum, securim, pistillum, mortarium,
quae utenda vasa semper vicini rogant.

Quod verbum interponitur, locus singularis est. Audacius Ennius in annalibus v. 306 sq.: *is dictust ollis popularibus olim qui tum vivebant homines atque aevom agitabant*; cf. Turpili v. 201 sq. *coronam, mensam, talos, vinum, haec huius modi, quibus rebus vita amantium invitari solet.*

Bacch. 214 etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo.

Trin. 954 sq. qui mihi mille nummum crederet
Philippum, quod me aurum deferre iussit ad gnatum suom.

Capt. 96 sq. senis, qui hic habitat, quae aedes lamentariae
mihi sunt.

Cf. Lucili v. 144 *crebrae ut scintillae, in stricturis quod genus olim ferventi ferro*, ubi *quod genus* idem significare ac *quales* Wölfflin docuit (*Archiv* V 392).

vel **nomine adiecto summa primariae comprehenditur:**

Cas. 309 sqq. una edepol opera in furnum calidum condito
atque ibi torreto me pro pane rubido,
era, qua istuc opera a me impetres quod postulas. [*quam istam opera* (*ram* V) codd. corr. Brix.],
neque enim hic verba *qua opera* referenda sunt ad *una opera*, sed spectant ad rem sc. ad id quod dixit Olympio: *in furnum calidum condito* e. q. s.; hac enim opera dicit Cleostratam impetraturam esse quod postulet, sc. se ipsum moriturum esse neque Casinam uxorem ducturum. *Una opera* hoc loco significat quod barbare

dicimus *ebenso gut* vel *gleich*, sc. *da wirf mich doch gleich* ... Ceterum cf. Ps. 318 sq., quo de loco dixi p. 70.

Quo cum genere dicendi arte cohaeret **adiunctio relativa** quae dicitur; cf.

Amph. 989 sq. ego sum Iovi dicto audiens, eius iussu nunc huc me adfero.
quam ob rem mihi magis par est via decedere et concedere.

Cf. sim. Poen. 380 Stich. 41; Eun. 148, Phorm. 241, 1020, Hec. 498, 562.

Heaut. 25 sq. arbitrium vostrum, vostra existumatio valebit. qua re omnes vos oratos volo.

Cf. Eun. 42; Lucil. 560, 627, 794, 1372. *Qua re* a Plauto alienum est (cf. Aul. 799).

Bacch. 397 sq. illum laudabunt boni, hunc etiam culpabunt mali.
qua me causa magis cum cura esse aecum, obvigilatost opus.

Capt. 412 sq. cum apud hunc confessus es et genus et divitias meas:
quo pacto emisisti e vinclis tuom erum tua sapientia.

Curc. 273 ibo atque orabo. || quae res male vortat tibi.

Cf. sim. Curc. 729, Pe. 329, Trin. 500, 572; Phorm. 678, Ad. 191.

Capt. 263 sq. nam sunt quae ex te solo scitari volo.
quarum rerum te falsilocum mi esse nolo.

Poen. 132 sq. mihi reddidisti opiparas opera tua.
quibus pro bene factis fateor deberi tibi
et libertatem et multas grates gratias.

Capt. 277 sq. quo de genere natust illic Philocrates? || Polyplusio:

quod genus illi est unum pollens atque honoratissumum.

Men. 902 sq. (cf. supra p. 62) meus Ulixes, suo qui regi tantum concivit mali.
quem ego hominem, siquidem vivo, vita evolvam sua.

Ep. 120 sq. sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.
quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo.

Ps. 1195 sq. quem tu Pseudolum, quas tu mihi praedicas fallacias?
quem ego hominem † nullius coloris novi.

Curc. 618 sq. ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo.
quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone auferam.

Sunt etiam ubi ipsum nomen primariae repetatur.

Aul. 561 sq. etiam agnum misi. || quo quidem agno sat scio
magis curionem nusquam esse ullam beluam.

Ps. 823 sq. quom hasce herbas huius modi in suom alvom congerunt,
formidulosas dictu, non essu modo.
quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Rud. 1237 sq. nomen ideo longius recessit, quod enuntiatum relativum simul secundaria condicionalis est, cuius coniunctio non solum ipsa initium sententiae appetit, sed etiam praeter pronomen indefinitum adeo verbum temporale attrahit:

atque edepol in eas plerumque esca imponitur:
quam si quis avidus poscit escam avariter,
decipitur.

Cf. Men. 759 sq. *nam res plurumas pessumas, quom advenit, fert: quas si antumem omnis nimis longus sermost.*

Tum haec **nominis cum pronomine relativo repetitio** etiam extra adiunctionem relativam occurrit, sc. sperspicuitatis causa. Passim enim invenitur in monumentis priscae Latinitatis iuridicialibus, a quibus ambages, quae a communi vitae usu repudiantur, ut omnes qui legant recte intellegant quid rei sit, non alienas esse, Delbrück (*Vergleichende Syntax der idg. Sprachen* III p. 401) rectissime contra eos monuit, qui sententiarum inter se relatarum congruentiam et concinnitatem vetustae linguae asperitati attribuerant (sc. Paetzolt, *De latini pronominis relativi syntaxi prisca, Diss. Vratisl. 1873* et *Beiträge zur historischen Syntax der lateinischen Sprache, Programm, Waldenburg i. Schl. 1875*; Bach, *De attractione quae dicitur inversa apud scriptores Latinos, Programm, Straßburg i. E. 1888*) cf. etiam Leo, *Analecta Plautina* II p. 23 adnot.

Ad ipsius sermonis iuridicialis imitationem propter notionem nominis revocandos esse constat.

Merc. 1015 sq. immo dicamus senibus legem censeo, prius quam abeamus, qua se lege teneant contentique sint. [*legem censeo* Guietus: *leges* A *Censeo* B *leges* et post spatium (quod nomine *CHA.* explevit D[2]) *censeo* CD; et praemittit v. 1016 *Γ* B.]

Cf. Lucili v. 1088 *accipiunt leges, populus quibus legibus exlex.*

Hec. 10 sq. sinite exorator sim, eodem ut iure uti senem
liceat, quo iure sum usus adulescentior.

Cf. Enni scen. 70 sq. *iudicavit inclitum iudicium inter deas tris aliquid, quo iudicio Lacedaemonia mulier, furiarum una, adveniet.* Huc trahendum est.

Ad. 854 i ergo intro, et quoi rei est, ei rei hunc sumamus diem. [codices versum corruptum olim emendatum memoriae tradunt].

nam vocis *rei* quoque iteratio ex monumentis epigraphicis sermoni iuridiciali apta probatur, cf. e. g. lex Acilia repetundarum 39 (Bruns *Fontes* p. 66): *Quam rem pr. ex h. l. egerit, sei eam rem proferet, ...*

Loci qui restant artificium prae se ferunt:

Rud. 680 sq. si modo id liceat, vis ne opprimat,
quae vis vim mi afferam ipsa adigit.

Rud. 997 quo colore est, hoc colore capiuntur pauxilluli.

Leo (cf. app. crit.) hunc locum emendavit, cum verba quae sunt *quo colore est* piscatori attribueret, qui verbose servo explicat quae res sit.

Ep. 41 supra p. 57 exscripsi et quid sentiam exposui. Terenti duo exempla quae huc spectant prologorum sunt, quos artificiosissime comparatos esse Leo docuit (*Analect. Plaut.* II) p. 23.

Heaut. 20 sq. habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
licere id facere, quod illi fecerunt, putat.

Nos quoque, si omnem sententiam barbare exprimere volumus, nomen repetamus opus est, sc. fere sic: ... *das Vorbild der Guten, und das ist in der Tat ein Vorbild, durch das ...*

Phorm. 32 sq. cum per tumultum noster grex motus locost
quem actoris virtus nobis restituit locum.

Vocabula quae in omnibus fere exemplis adhuc allatis, nisi vocabula enclitica intercedunt, iuxta posita legun-

tur, in initio atque in fine versus disposita sunt (cf. supra p. 55).

Ceteros locos, quos viri docti contulerunt, iniuria huc trahendos esse censuerunt, sc. Mil. 140 (quam recte interpretatus est Bach l. s. p. 5 adn. 3), Merc. 101 (contra codicum memoria, quae Cas. 863 probatur), Trin. 305)cf. supra p. 61), Cas. 258 (cf. supra p. 62), Poen. 90sq.)sed verba *quantum hominum* ... non ex eo quod est *homini* pendent, sed modo ad formam superlativam adiectivi efferendam adiecta sunt, tamquam si legeretur vel *hominum quos terra sustinet sacerrumo* vel *omnium sacerrumo*), Stich. 59 (sed verba *servus probus* in apodosi praedicatum sunt, *is* subiectum est; quod iam collocatione verborum indicatur, nam *is* pronomen adiectum nomen quo pertinet fere semper praecedit, cf. Nilsson, *Quomodo pronomina quae cum substantivis coniunguntur, apud Plautum et Terentium collocentur* (*Lunds Universitets Årsskrift* XXXVII 1. 4, 1901) p. 45, ubi tantum quinquies pronomen *is* substantivum subsequi dicit, et p. 49, ubi certas ob causas hanc collocationem adhibitam esse ostendit), Poen. 874 (cf. Leo ad l.).

Denique huc trahenda sunt ea exempla, ubi sententia relativa non nisi **κατὰ σύνεσιν**, ut dicere solemus, e primaria pendet, sc.

Ps. 318sq. quia pol q u a o p e r a credam tibi,
u n a o p e r a alligem fugitivam canem agninis lactibus.

una opera hoc loco non idem est atque *eadem opera* (sicut est Men. 525, Ps. 222), sed significat potius quod nos dicimus *ebenso gut* (cf. As. 99, Capt. 563, Cas. 309 (cf. s. p. 64), Men. 794, Most. 259); eadem res est atque Ep. 41 (cf. supra p. 57).

Bacch. 392 condigne is q u a m t e c h i n a m de auro advorsum meum fecit patrem.

fecit ἀπὸ κοινοῦ dicitur.

Mil. 951 sq. quin tu tuam rem cura potius quam Seleuci, q u a e tibi
c o n d i c i o nova et luculenta fertur per me interpretem.

Cf. Brix ad l. Locus, quod nomen a pronomine fine versus seiungitur, singularis est.

Poen. 193 h o c primum agamus, q u o d c o n s i l i u m cepimus.

Falso Ussing: „substantivum non demonstrativo sed relativo additur ut 447. 823. 83,“ nam hoc loco non de translatione vocabuli agitur, *hoc* potius substantivum est et passim in eadem hac dictione occurit, neque invenitur *consilium agere* neque omnino, nisi fallor, Latine dici potest. Alia res est Andr. 733, cf. p. 80.

Denique contra Brixi (ad l.) opinionem huc trahendum esse censeo.

Trin. 838sq. satis partum habeo,
q u i b u s a e r u m n i s deluctavi, filio dum divitias quaero. [*cum hisce* pro *quibus* Nonius 468]

nam hoc dicit: satis partum habeo, si aerumnas respicio, quibus deluctarer opus erat ad divitias filio quaerendas.

Cf. Lucili v. 622 *ego si, qui sum et quo f o l l i c u l o nunc sum indutus, non queo, et* v. 731 *iam, q u a t e m p e s t a t e vivo, certe sine: ad me recipio.*

Quibus locis collatis numerus exemplorum usum adiectivum pronominis relativi Latini illustrantium nondum consumptus est, sed in lingua quoque Latina **attractionem illam, vel ut barbare dicimus die**

Hineinziehung der Bezugsmasse in den Nebensatz deprehendimus, qua adhibita Graeci formis stirpis substantivi *ἰο-* pro adiectivis uti coeperant.

Assimilationem fortasse rectius appellabimus attractionem iis locis, ubi nomen primariae post enuntiatum relativum, quod ab eo pendet, recessit:

Bacch. 699sq. si tu illum solem sibi solem esse diceres,
se illum lunam credere esse et noctem, qui nunc est dies.

Cf. lectionem Ambrosianam Ep. 606.

Cas. 975 quid fecisti scipione aut, quod habuisti pallium? [*scipionem* AP, corr. Lambinus] cf. Leo *Anal. Plaut.* I p. 13.

Curc. 433sq. ut ei detur, quam istic emi virginem,
quod te praesente isti egi teque interprete,
et aurum et vestem.

Merc. 230 ei ne noceret, quam domi ante habui capram.

Merc. 747 ite hac. sed eccum, qui nos conduxit senex.
Nominativum casum *senex* non ex *essum* pendere posse Langen (*Beiträge* p. 5) statuit.

Merc. 702 em, quoi te et tua, quae tu habeas, commendes viro.

Stich. 321 quid istic inest? || quas tu edes colubras.

Saepe fit, ut enuntiatum relativum praecedat attributum aliquod nominis assimilati:

Rud. 51sq. is illius laudare infit formam virginis
et aliarum itidem, quae eius erant mulierculae.

Truc. 183 sed istos, qui cum geniis suis belligerant
parcipromi. [*parce promi* P, PARC$\overset{i}{E}$PROM$\overset{o}{I}$S A].

Truc. 275 pignus da ni ligneae haec sunt, quas habes Victorias.

Mil. 155 codices variant, neque etiam de codicis Ambrosiani lectione constat; Loewio enim teste haec praebet:

ipse exit: hic illest lepidus quem dixi senex

Studemund autem haec se legisse testatur:

ipse exit: hic illest lepidus quem dixi senem.

Codices Palatini tantum abest, ut rem diiudicent, ut ipsam lectionis varietatem referre videantur, cum exhibeant haec:

senex ē B[1] et ante ras. D: *ē* expunxit B[2] *senex est* C, quae ita intellegenda esse mihi persuasum habeo, ut dicamus *ē* vel *est* e compendio in archetypo Palatinorum pro *-em* sc. *senem* adscripto originem cepisse. Forma assimilata locis allatis optime probatur (cf. etiam Most. 811 et Rud. 77).

Huc spectat Enni ann. v. 535 *cum illud quo iam semel est imbuta veneno*; cf. Vahlen in *Indice lectionum Berolinensi a. 1892—93* p. 9sq.

Qui loci omnes eo inter se consentiunt, quod nomen assimilatum non solum sententiam sed etiam versum claudit. (Huic usui non contradicunt duo illa nomina *et aurum et vestem* (Curc. 435) ei quod est *virginem* (v. 433) adiecta et assimilata).

Atque etiam a lingua Graeca hanc structuram et verborum collocationem non abhorrere praeter alios locos Euripidis Phoen. 940sq. doceant:

ἐκ γένους δὲ δεῖ θανεῖν
τοῦδ' ὃς δράκοντος γέννος ἐκπέφυκε παῖς.

Iam duos locos a praemissis non seiungendos esse opinor, quamquam altero primaria ultra enuntiatum relativum continuatur, sc.

Poen. 83sq. sed illi patruo huius, qui vivit senex,
Carthaginiensi duae fuere filiae.

altero adverbium ultimum locum et sententiae et versus occupat, sc.

Capt. 179 sq. nisi qui meliorem adferet,
quae mi atque amicis placeat condicio magis,

nam quod maximum valet, quia eo ipso assimilatio casus effecta esse videtur, etiam his locis verbum temporale nomen proxime praecedit[1]).

Apud Terentium unum tantum huius modi exemplum investigavi et in prologo quidem, sc.

Andr. 3 populo ut placerent quas fecisset fabulas.

Nimirum; „puri sermonis amator“ hanc licentiam evitabat.

Ipsam attractionem habemus, si nomen primariae postpositae, ad quod pronomen relativum spectat, ad ultimum locum enuntiati relativi procedit. In apodosi nominis attracti loco pronomen demonstrativum stare solet. Cf.

Cist. 675 sq. quamne in manibus tenui atque accepi
hic ante aedis
cistellam, ubi ea sit nescio.

Mil. 73 sq. ut in tabellis quos consignavi hic heri
latrones, ibus denumerem stipendium [deest A: *latronis bus* CD, *latronibus* B, *latrones ibus* Nonius 486 cf. Placidus corp. gloss. 5. 75 et Donatus ad Eun. 432].

Ps. 767 sq. (cf. Leonis ad scaenae initium adnotationem)
cui servitutem di danunt lenoniam
puero, atque eidem si addunt turpitudinem,
ne illi, quantum ego nunc corde conspicio meo,

---

1) Bacch. 936 *non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achivi ligneum* et Enni sat. 10 *lati campi quos gerit Africa terra politos* non de nomine sed de attributo assimilato agitur.

malam rem magnam multasque aerumuas danunt.

Simillimum exemplum Euripides praebet, sc.

Or. 63 sqq. *ἣν γὰρ κατ᾽ οἴκους ἔλιφ᾽, ὅτ᾽ ἐς Τροίαν ἔπλει,*
πάρθενον, ἐμῇ τε μητρὶ παρέδωκεν τρέφειν
Μενέλαος ἀγαγὼν Ἑρμιόνην Σπάρτης ἄπο,
ταύτῃ γέγηθε κἀπιλήθεται κακῶν.

Sed de dispositione verborum per versus non tam constat, quam exemplis collatis conicere licet, cf.

Capt. 908, ubi Palatinorum auctoritate haec legimus:
et quae pendent indemnatae pernae, eis auxilium ut feram [*perne eis* B² in ras.: *pernies* VE; *pernis* AS].

Cist. 611 sq. medioxumam quam duxit uxorem, ex ea
nata est haec virgo.

Hanc nominis post caesuram collocationem defendunt loci Terentiani, sc.

Phorm. 88 sq. in quo haec discebat ludo, exadvorsum
ilico
tonstrina erat quaedam [*ei loco* codd. praeter A¹ et *in loco* D; cf. Dziatzko-Hauler ad l.].

Hec. 311 quapropter? || quia enim qui eos gubernat
animus, eum infirmum gerunt [*eum* AD¹: om. ceteri].

Phorm. 461 is quod mihi dederit de hac re consili-
um, id sequar.

Ultimo versus loco nomen positum praebent:

Cas. 100 sq. quin potius quod legatum est tibi negotium,
id curas ...?

Heaut. 654 sq. quam Bacchis secum adduxit adules-
centulam, || hem,
quid illa narrat? || ea lavatum dum it, servandum
mihi dedit.

Andr. 26 sq. posthac quas faciet de integro comoedias,
spectandae an exigendae sint vobis prius.

Vid. 90 quam ad redditurum te mihi dices diem,
cave demutassis.

Cum in priore exemplo pronominis demonstrativi loco formas infinitas verborum legi vix notabile sit, ultimo loco breviloquentiae causa pronomen prorsus intercidit.

Praeterea pronomini relativo interdum pronomen demonstrativum non solum praemittitur sed etiam per attractionem quam dicimus inversam ei assimilatur, cf.

Aul. 34 sq. et hic qui poscet eam sibi uxorem senex,
is adulescentis illius est avonculus.

Capt. 1 sq. hos quos videtis stare hic captivos duos
† illi qui astant, hi stant ambo, non sedent.

Nihilo minus igitur — ut apparet — in apodosi pronomen demonstrativum extat, vel quod eius partes suscipiat vocabulum, cf.

Ep. 448 sq. sed istum quem quaeris Periphanem Platenium,
ego sum.

Curc. 296 sq. tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
et datores et factores omnis subdam sub solum.

nisi quod hoc loco nomen attractum definitione adverbiali addita ab ultimo loco enuntiati reiectum est; sc. vocabula *servi* et *scurrarum* non sine consilio iuxta posita sunt. Quod versus structuram attinet, animadvertas quaeso nomen post caesuram stare sicut in iis exemplis, quae p. 82 sq. contuli.

Duo restant huius generis loci, quorum id est proprium, ut enuntiatum relativum usque ad proximum

versum pertineat. Quo factum esse videtur, ut nomen primum locum versus sibi vindicaret. Est autem notandum — neque adhuc scio quomodo rem intellegam — nomen ultimum locum enuntiati verbo temporali, a quo pendet, concessisse.

Pe. 114 sq. mane quod tu occeperis
negotium agere, id totum procedit diem.

Rud. 1065 sq. ita ut occepi dicere, illum quem dudum ⟨e fano foras⟩
lenonem exstrusisti, hic eius vidulum eccillum ⟨tenet⟩.

Quod πολύπτωτον quoque et **adnominatio** causae fuerunt attractionis nominis, ille non miratur qui scit, quantum valuerint in sermone poetarum Latinorum (cf. Raebel, *De usu adnominationis apud Romanorum poetas comicos, Diss. Hal. 1882*) Exempla haec sunt:

Trin. 1069 hem quis est, qui mentionem homo hominis fecit optumi? [*facit homo hominis* P]

pro usitato illo ordine verborum qui est: *quis homo est qui* ...?

Aul. 589 sq. nam qui ero ex sententia servire servos postulat,
in eum ...

Pe. 7 sq. qui ero suo servire volt bene servos servitutem,
ne illum ...

Capt. 358 quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida est bonis.

Suam rationem habent duo illi loci inter se simillimi:

Poen. 449 sq. di illum infelicent omnes, qui post hunc diem
leno ullam Veneri umquam immolarit hostiam.

et Naevi v. 19 sq. ut illum di perdant, qui primum
holitor protulit
cepam.

Quod enim **exsecrandi formulas** attinet, quos Langen (*Mus. Rhen.* XII p. 426) contulit, pronomini demonstrativo apud Plautum quidem nusquam additur nomen nisi uno Men. 308 † habitas? ‖ di illos homines qui
illic habitant perduint,

numero plurali [1]). Seyffert ad versum sanandum *habes* scripsit; Wackernagel autem non solum locum corruptum sanavit, sed etiam offensionem, quam statui, removit, cum in margine huius opusculi recensendi adnotaret:

habitas? ‖ Di illos, qui illi habitant homines
perduint.

Terentius formulas minus diligenter servavit, nam non solum numero plurali praebet: *at istos invidos di perdant, qui haec lubenter nuntiant* (Hec. 469) sed etiam singulari: *ut illum di diaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est* (Eun. 302, cf. Donati comm.). Plautus et — ut elucet — Naevius antiquam formulam diligentius respexerunt, cum nomen in enuntiatum relativum reciperent.

Exempla usus adiectivi pronominis relativi Latini collegi et ordine disposui, ut appareret

A) quomodo proprietas genuina stirpum *quo-* et *qui-*, per quam adiectivi quoque partes suscipere poterant,
 1) in compositionibus quibusdam permaneret,
 2) originem daret nonnullis structuris linguae Latinae propriis;

1) Praeter hunc locum ubique de numero singulari agitur.

B) quibus condicionibus etiam in lingua Latina attractio nominis valuerit.

Duo quidem genera locorum hac divisione non comprehenduntur, quamvis primo optutu iis quos supra contuli simillime comparati esse videantur. Subtili perscrutatione apparebit funditus eos ab illis differre.

Primos eos locos dicam, ubi vere non tam de usu adiectivo pronominis relativi agatur, quam de **traiectione nominis primariae in enuntiatum relativum,** quod eius generis est, ut casus nominis non commutetur opus sit, sc.

Cist. 120 (cf. p. 4) idem mihist, quod magnae parti
vitium mulierum.

Asin. 83 cupio esse, amicae quod det argentum suae.

Capt. 17 sq. fugitivos ille, ut dixeram ante, huius patri,
domo quem profugiens dominum abstulerat vendidit.

Phorm. 24 sqq. adporto novam
Epidicazomenon, quam vocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant.

Cf. Dziatzko-Hauler ad l. et Leo *An. Plaut.* II p. 22 adn.

Eun. 77 sq. neque praeter quam quas ipse amor molestias
habet addas.

Ceterum exempla eo inter se consentiunt quod nomen traiectum paenultimo loco enuntiati relativi positum praebent. Neque tamen dissimilis est Lucili v. 690 *proferam ego iam vester ordo scelera quae in se admiserit* nam verbis *vester ordo* praemissis enuntiatio relativa nomen amplectitur, sicut supra e. g. *mulierum* vel *Graeci* postposito. Quod nomen pronomen praecedit, pronomen non adiectivi locum tenere affirmat.

Deinde eos locos proferam, qui **pronomen relativum non proprie dictum** praebeant, sc.

Merc. 93 sq. Rhodum venimus, ubi quas merces vexeram,
omnis, ut volui, vendidi ex sententia.

Andr. 389 sq. reddes omnia,
quae nunc sunt certa ei consilia, incerta ut sient.

Andr. 481 sq. adhuc, Archylis, quae adsolent quaeque oportent
signa esse ad salutem, omnia huic esse video.

Lucili v. 812 omnia alia, in quibus ecferimur rebus, ne ego multis loquar.

Quod id proprietatis habere neminem fugit, quod pronomen relativum, cui nomen adicitur, e forma vocabuli *omnis* pendet. Quae res non parvi momenti est ad structuram grammaticam locorum intellegendam. Aliud enim est *omnes merces vendidi, quas vexeram*, aliud *omnes vendidi, quas merces vexeram* vel *quas merces vexeram, omnes vendidi*. Illic *omnes* significationem fere demonstrativam habet, sc. *eas*, nam si *eas* merces vendidi quas vexeram, *omnes* vendidi; hic autem *eas* pro *omnes* ponere non licet, nam talem constructionem, qualis est *quas merces vexeram, eas vendidi* vel *eas vendidi, quas merces vexeram*, nisi de assimilatione vel attractione agitur[1]), ab ingenio linguae Latinae abhorrere, mihi satis demonstravisse videor. Hic igitur non de certa determinatione nominis agitur, sed potius — tertium non datur — *omnis* nomen per comprehensionem excipit, tamquamsi scriptum legamus *quascumque merces vexeram*, *omnes vendidi* etc. Et re vera non solum stirpes *quo-* et *qui-* praeter

1) Eun. 57 sq. sui generis est, cf. s. p. 72.

significationem interrogativam indefinitam quoque possedisse, sed etiam eas et in interrogationibus et ubi indefinite dicebantur adiectivi quoque partes egisse non nescimus. Non igitur iniuria, ut opinor, ad structuram grammaticam locorum, quos exscripsi, intellegendam **usum adiectivum pronominis qui e significatione indefinita repetemus.**

Sed ne vocabulum *omnis* semper in primaria positum legi censueris. Re semel perspecta his quoque locis *qui* pro *quicumque* dici non negabis:

Stich. 564 quia nequit, qua lege licuit velle dixit fieri. Cf. Leo, *Plautin. Forschungen* p. 287 adn. 2.

Heaut. 329 tum quod illi argentum es pollicitus,
eadem hac inveniam via.

non enim de certa summa pecuniae Syrum loqui contextus affirmat.

Singularis est

Amph. 6 sq. bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro,
quasque incepistis res quasque inceptabitis.

propter correlationem enuntiationum relativarum (cf. Sjögren, *De particulis copulativis apud Plautum et Terentium* p. 130 sq.). Lucilius v. 1326 sq. particulis omissis simillimam praebet structuram: *virtus, Albine, est pretium persolvere verum, quis in versamur, quis vivimus rebus, potesse.*

Quapropter in ambiguo versor an *quasque* potius pro ipsa forma pronominis indefiniti habeam, sicut *quemque* [*quemquem* A] Mil. 160.

Unus restat:

Andr. 733 repudio, quod consilium primum intenderam.

qui, quamvis ad eorum locorum exemplum, quos modo attuli, comparatum esse videatur, tamen certum consilium respicit, sc. id quod Davos *primum intenderat*.

Conspectus rerum.

Pars prior.

De pronominis relativi Italici inversione atque hyperbato.

Altera pars.

De usu adiectivo pronominis relativi Latini.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Lubecae anno MDCCCLXXXI pridie Nonas Decembres, patre Hermanno Deecke, mercatore et senatore, matre Johanna Boldemann. Fidei addictus sum luthericae. Inde ab anno MDCCCXCI Catharinei Lubecensis gymnasii realis discipulus fui. Anno MCM Gryphiswaldiam me contuli, ut linguis litterisque Germanicis operam darem. Studio autem et amore commotus simul cum linguae Indicae tum Graecae elementis imbutus sum. Post duo semestria Lipsiam petivi ibique, cum scholas non neglegerem, avide studium linguarum

veterum quas dicimus arripui. Autumno anni MCMII tempore, postquam per unum semestre Friburgae in urbe Brisgovensi, versatus sum, examen maturitatis in gymnasio urbis patriae absolvi et Gottingam migravi, ubi ex eo tempore linguis litterisque Latinis et Graecis et Germanicis toto animo me dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Gercke, Heller, Konrath, Siebs, Zimmer, Gryphiswaldenses; Brugmann, Elster, Holze, Köster, Sievers, Volkelt, Windisch, Lipsienses; de Simson, B. Schmidt, Friburgenses; Baumann, Busolt, Dilthey, Heyne †, Leo, Pfuhl, Rabbow, Schroeder, Schwartz, Wackernagel, Gottingenses. Seminarii Philologorum Gottingensis sodalis fui per tria semestria, quorum per unum senior; seminarii quoque Germanistici sociis nomen meum per duo semestria adscriptum fuit. Praeterea ad exercitationes privatissimas benigne me admiserunt Leo et Wackernagel. Quantum viris doctissimis omnibus, qui meis studiis faverunt, debeam, semper grato animo habebo. Summas autem gratias Friderico Leo ago, qui non solum a principio studiis meis philologicis animo libentissimo consuluerit, sed etiam in conficiendo hoc opusculo me adiuverit.

---

significationem interrogativam indefinitam quoque possedisse, sed etiam eas et in interrogationibus et ubi indefinite dicebantur adiectivi quoque partes egisse non nescimus. Non igitur iniuria, ut opinor, ad structuram grammaticam locorum, quos exscripsi, intellegendam **usum adiectivum pronominis qui e significatione indefinita repetemus.**

Sed ne vocabulum *omnis* semper in primaria positum legi censueris. Re semel perspecta his quoque locis *qui* pro *quicumque* dici non negabis:

Stich. 564 quia nequit, qua lege licuit velle dixit fieri.

Cf. Leo, *Plautin. Forschungen* p. 287 adn. 2.

Heaut. 329 tum quod illi argentum es pollicitus,
eadem hac inveniam via.

non enim de certa summa pecuniae Syrum loqui contextus affirmat.

Singularis est

Amph. 6 sq. bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro,
quasque incepistis res quasque inceptabitis.

propter correlationem enuntiationum relativarum (cf. Sjögren, *De particulis copulativis apud Plautum et Terentium* p. 130 sq.). Lucilius v. 1326 sq. particulis omissis simillimam praebet structuram: *virtus, Albine, est pretium persolvere verum, quis in versamur, quis vivimus rebus, potesse.*

Quapropter in ambiguo versor an *quasque* potius pro ipsa forma pronominis indefiniti habeam, sicut *quemque* [*quemquem* A] Mil. 160.

Unus restat:

Andr. 733 repudio, quod consilium primum intenderam.

qui, quamvis ad eorum locorum exemplum, quos modo attuli, comparatum esse videatur, tamen certum consilium respicit, sc. id quod Davos *primum intenderat.*

Conspectus rerum.

Pars prior.

De pronominis relativi Italici inversione atque hyperbato.

Altera pars.

De usu adiectivo pronominis relativi Latini.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Lubecae anno MDCCCLXXXI pridie Nonas Decembres, patre Hermanno Deecke, mercatore et senatore, matre Johanna Boldemann. Fidei addictus sum luthericae. Inde ab anno MDCCCXCI Catharinei Lubecensis gymnasii realis discipulus fui. Anno MCM Gryphiswaldiam me contuli, ut lingnis litterisque Germanicis operam darem. Studio autem et amore commotus simul cum linguae Indicae tum Graecae elementis imbutus sum. Post duo semestria Lipsiam petivi ibique, cum scholas non neglegerem, avide studium linguarum

veterum quas dicimus arripui. Autumno anni MCMII tempore, postquam per unum semestre Friburgae in urbe Brisgovensi, versatus sum, examen maturitatis in gymnasio urbis patriae absolvi et Gottingam migravi, ubi ex eo tempore linguis litterisque Latinis et Graecis et Germanicis toto animo me dedi. Docuerunt me viri doctissimi: Gercke, Heller, Konrath, Siebs, Zimmer, Gryphiswaldenses; Brugmann, Elster, Holze, Köster, Sievers, Volkelt, Windisch, Lipsienses; de Simson, B. Schmidt, Friburgenses; Baumann, Busolt, Dilthey, Heyne †, Leo, Pfuhl, Rabbow, Schroeder, Schwartz, Wackernagel, Gottingenses. Seminarii Philologorum Gottingensis sodalis fui per tria semestria, quorum per unum senior; seminarii quoque Germanistici sociis nomen meum per duo semestria adscriptum fuit. Praeterea ad exercitationes privatissimas benigne me admiserunt Leo et Wackernagel. Quantum viris doctissimis omnibus, qui meis studiis faverunt, debeam, semper grato animo habebo. Summas autem gratias Friderico Leo ago, qui non solum a principio studiis meis philologicis animo libentissimo consuluerit, sed etiam in conficiendo hoc opusculo me adiuverit.
